DOCTRINÆ AUGUSTINIANORUM THEOLOGORUM

CIRCA

V. PROPOSITIONVM MATERIAM

Expoſitio

ARTICULIS QUINQUE

Ad ALEXANDRUM PP. VII olim tranſmiſſis

comprehenſa

Nunc ALEXANDRI PP. VIII judicio

denuò ſubjecta

ET

ad publicam omnium quorum intereſt notitiam

delata

cum brevi Narratione de ejuſdem expoſitionis ſeu Articulorum quinque condendorum conſilio & occaſione

excuſſa & refutata

PER

JOANNEM AB ISSELSTEYN

Lovanienſem Theologum.

Biblot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

COLONIÆ,
Typis Balthaſaris van Egmont 1690.

CENSVRA.

L*Ibellum cui Titulus*, Doctrinæ Auguſtinianorum &c. Expoſitio &c. excuſſa & refutata per Joannem ab Iſſelſteyn Theologum Lovanienſem, *judico eſſe perquam conducibilem & opportunum hoc tempore, tum ad diſſipandos vanos rumores, quos de neſcio quâ approbatione Romanâ ancipitium quinque Articulorum, ab iis conditorum, qui ſe Auguſtini Diſcipulos nominant, tam vanè quam glorioſè nonnulli ſpargunt; tum ad patrocinium bonæ orthodoxorum cauſæ, cui per Libellum hic refutatum ſtruuntur inſidiæ. Datum Lovanii* 2. *Aprilis* 1690.

NICOLAUS DU BOIS
Sacrarum Litterarum Primarius Profeſſor, Librorum Cenſor &c.

PROLOGUS.

Scriptiuncula Argumentum & ſcopum explicans.

SPargi per Belgium haud ita pridem cœpit Libellus quidam nullo Auctoris nomine, nullo Cenſoris, nullo Loci, ubi typis mandatus eſt, nulla denique notâ inſignitus, qua commendari libros (quos tutò legere, aut venales exponere licitè poſsis) jubent publicæ ac receptæ Eccleſiæ leges. Id conſilium Auctoris, is ſcopus, oſtendere, quidquid per Gallias aut Belgium aut exteras nationes non dubiis Auctoribus fama jactat, aut res ipſa oculis hauſta quotidie comprobat, de malè ſopitis Janſenianæ Hæreſios ignibus, de renaſcenti incendio, ac vires indies ſumente majores (a) *Inſulſam eſſe fabulam, jam ante annos multos exſufflatam*: Rumorem hunc à malevolis hominibus ſatum fotumque, animis invidiâ odio obtrectationis ſtudio turgidis, quidlibet in Innocentium Theologorum perniciem comminiſcentibus. Id ut Lectoribus (quorum jam multi experientiâ docti ad haſce cantilenas ſurdeſcunt) faciliùs perſuadeat, plenum feroci ne dicam ſtolida confidentiâ vultum induit, provocat ad tribunalia, manu velut conſerta citat accuſatores, nullos Judices reformidat. Romanam ſedem appellat, & ſummum Pontificem Alexandrum Octavum, accepti à duobus Romanis Pontificibus vulneris immemor, velut jam obducta cicatrice. Armis denique pugnat omnibus, quibus malarum cauſarum Patroni ſolent, dum ſpem ac fiduciam vultu ſimulant, timorem atque anxietatem ſollicito premunt corde.

Argumentorum hæc ſumma eſt. Miſsi ſunt quinque Romam Articuli Theologorum, qui ſe Auguſtinianos nuncupant (an ab Ipreńſi, an ab Hipponenſi Auguſtino, judicent alii) doctrinam ac ſenſa, circa damnatas ab Innocentio & Alexandro Propoſitiones quinque, complexi. Viſi ſunt ab Alexandro ſeptimo, diligenter excuſsi, & poſt acre examen approbati: immunes igitur ſunt ab omni hæreſios ſuſpicione, & quidem Romanæ ſedis calculo Theologi iſti, qui tanto jam tempore, tam malignè vocantur in invidiam. At neque priuſquam

(a) *Pag.* 12.

 famo-

famoſæ propoſitiones infami Romæ notâ inurerentur, neque poſtquam inuſtæ ſunt, ulli fuere ex ſuſpectis, aut in crimen vocatis Theologis, qui quidquam aliud in hac materia ſenſerint, quam quod in dictis articulis profitentur; neque hodie ulli ſunt, qui quidpiam aliud ſentiant. Nulli itaque ſunt Janſeniſtæ: nulli exiſtere: Alta fruitur Eccleſia pace: lupi nulli vagantur per ovilia: inanes tantum Luporum lemures panico timore percellunt gregem.

Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingant?

Nocturnos lemures à puero non timere didici. Lupos tamen ſub ovina pelle agnoſcere non ſola me Æſopi vulpecula docuit; verum & ſaluberrima Chriſti & Apoſtolorum monita, diſcipulis ſuis ac poſteris denuntiantium, multos & diu & noctu gregibus obambulare, qui cum lupi ſint, agnum induerint. Quidquid agant hi Protei in omnem formam verſatiles aut potius lycanthropi, quantumlibet adhibeant induſtriam, ut clauſum animis venenum tegant, nunquam ita ſe veſtiunt aut adornant, ut non aliqua ſe tandem parte prodant Aut dentes cominùs oſtentant, aut immanem rictum exerunt, aut infamem ventilant caudam; nunquam diu oculis ſagacibus illudunt. Simplices captant, improvidos fallunt: hujuſmodi præſtigiarum inſolentes externæ formæ illecebris captos detinent, aut vinctos ſecum rapiunt. Horum animi ſingulari paſtorum ac Præſidum curâ muniendi ſunt adverſus hæc miracula; aut quis non videat imminere ovili præſens periculum?

Speraveram fore ut Societatis Jeſu Patres (qui naſcens Janſeniſmi monſtrum in ipſis cunis ſuffocarunt, qui renaſcens ferro & face perſequuntur, qui ſtylo quotidie ſuo ſcriptiſque innumeris confodiunt) nulla deterriti invidiâ, nullis calumniis, minis nullis paucas horas conſumerent in detrahenda larva huic Theologo perſonato, qui è latebris ſuis, velut alter ex Bebrycum antro Amycus, pugilum fortiſſimos provocat ad pugnam, vociferans,

(b) Εἷς ἑνὶ χεῖρας ἄειρον, ἐναντίος ἀνδρὶ καταστάς:

Unum unus concide manu, & concurre viro vir:

Speraveram inquam fore ut compeſcerent animoſi hujus duellatoris clamores & convitia, ſimulque antidotum quoddam promerent

(b) *Theocr. in Dioſc.*

ſim-

ſimplicibus & parum cautis lectoribus adverſus virus, quod utraque manu ſpargit in vulgus. At mea me fallit hactenùs exſpectatio. Neſcio quo conſilio in hunc diem Patres conticeſcunt. Grandius illos opus moliri credibile eſt.

Eliſa fateor hæc machina, & in partes comminuta eſt priuſquam fabricaretur, in ſolidiſſimis theſibus R. P. Iſaaci de Bruyn adverſus eximium D. (non eſt cur nomen ejus reticeam; celebre eſt utriuſque certamen, nec hic ſe nominari ægre feret) Martinum Henricum de Swaen, in Collegio Societatis Jeſu Lovanii publicè defenſis die 22. & 23. Novembris 1689. confutatus illic libellus eſt menſe integro priuſquam ederetur in lucem. Intorſerat eadem tela debilia, imbellia, ſine ictu Magiſter Martinus, fracta illic tela videre cuilibet licet; & licuit libelli hujus provocatorii Auctori. Sed diſſimulare maluit, quam pugnæ meminiſſe nec ſibi nec ſymmyſtæ ſuo glorioſæ, ne agnoſceretur ante pugnam victus. Ceſſit ex arena Martinus, & certamini ad quod nihil tale cogitantem provocatione publica pene compulerat Patrem, nuntium primus ipſe ultro remiſit; hic noſter forte *Par ut ſuccederet illi.*

Sanè quanquam exiſtimem abunde refelli in iſtis Theſibus quidquid miles hic glorioſus jactat in libello ſcombris involvendis nato de approbatis Romæ Pſeudo-Auguſtinianorum articulis, totamque molem ſponte ſua ruere, quam mendaci huic fundamento ſuperſtruit fabulator: non facilè tamen in animum meum induxero, ſatis eſſe in hiſce Theſibus remedii, ut occurratur malo quotidie ſerpenti latiùs. Ad quam paucorum enim manus pervenere hæ Theſes? Vix extra Lovanii muros exemplar invenias. Et interim toto Belgio volitant peſtiferæ chartæ, dividuntur ſumma curâ per familias, feruntur in foris, obtruduntur vel invitis. Nec minori forte curâ per exteras nationes diſtrahuntur, apud quas purgare ſymmyſtas ſuos, & ſparſos temerè avidèque creditos rumores diſſipare laborat Advocatus importunus.

Erunt quibus videbor operam ludere, qui cum larva congrediar, qui vitam fœtui minimè vitali & poſt paucas horas exſpiraturo cruda manu præcidam. Quid opus, inquient, hominem pugnis fatigare, qui neminem patitur, quam ſit ipſe ſibi, infeſtiorem: qui quod una manu

B aſtruit,

aſtruit, mox altera deſtruit: qui loquitur adverſus ſolem: qui mendacia pleno plauſtro fundit? Ecquo enim alio argumento ſupereſſe hodiedum pervicaces Janſenianorum errorum Patronos apud æquos ſanoſque judices efficacius vinci poteſt, quam ſi coram ipſi intelligant videantque homines frontis uſque adeo & fidei perditæ, qui contendere auſint inane eſſe ſpectrum, quod Janſeniſmi nomine circumfertur: nullos umquam inter homines extitiſſe Janſeniſmi Patronos nullos eſſe. Ego certè etiamſi argumenta redivivi mali deficerent cætera, vel huic uni victus cederem. Cæterum ſi de quiſquiliarum hujuſmodi ſorte augurari libeat, fortunam libelli hujus facilè diſcere poſſumus ex aliis. Quem fructum tulit impotens ille Janſenianæ cauſæ defenſor Paulus Irenæus? Ptolemæum dicere ſe debuit. Pacis ſcilicet, non belli funeſti nuntius. Et tamen quanto faſtu inſurrexit in adverſarios! quanto ſtrepitu, pompaque verborum, quam pugnaci, quam ferreo, quam inclementi ſtylo! Num tamen inde multò plures inventi ſunt, qui maluerint commentis Pauli hujus ad veri ſpeciem tanta arte effictis credere, quam oculis & auribus quotidie ſuis? Eandem cramben recoxit à decennio circiter Gallico ſermone quidam Dominus de S. Victor libello Inſulis, ut præfertur, impreſſo. Et hujus conatus neſcio quo operæ pretio brevi in fumum abiit. Rurſus novo majorique molimine eandem telam texuere Portus Regii exules; protruſus eſt in lucem malis avibus, turgidus magnifica inſcriptione liber. *Janſenianæ Hæreſios Phantaſma*, ſive ſpectrum inane *Le phantôme de Janſeniſme*. Nullis illic Rhetorum coloribus parcitum, nullis orationis fucis, nullis eloquentiæ pigmentis: artificium omne conſumptum eſt. Et quos quæſo Siren illa Gallica cantu ſuo rapuit in naufragium? Apud quam paucos, ſi tamen apud ullos, Janſenianis ſacris non initiatos fidem invenit? Ubi tandem veritati os obſtruxit? Si, quod res eſt, fateri volumus, Gallici ſermonis venuſtatem omnem nullo rerum ſuarum ſucceſſu auctor infelix perdidit. Quid perituras ſponte ſua paginas, & jam nunc tenebris damnatas, jam ſepultas ſtylo perſequeris? Quid horas melioribus ſtudiis dandas in mendaciis malè conſutis refutandis collocas? Sine ſe libellus ipſe exedat, atque conſumat. Etiamſi Tineæ blattæque pepercerint, non feret ætatem.

Næ ille Novatorum genium perſpectum non habet, quiſquis ita Philoſophatur. Quid ſtudeant quid moliantur non videt. Nota eſt Politicorum noſtra ætate Principis celebris vox, inſignem reipublicæ navare operam, quiſquis mendacio vel per unum diem vigorem vitamque largitur. Neque verò politicarum artium incallidi cenſendi ſunt Hæreſium Architecti. Vidit id Avorum Patrumque ætas, & noſtra videt atque deplorat. Quas non inſidias ſtruxere veritati? Quibus non calumniis & ſycophantiis uſi ſunt, ut imminentem cervicibus ſuis plagam averterent? ut acceptam & ſuo ſe ſanguine ac ſanie prodentem velarent? ut intactos ſe, integroſque oculis hominum perſpicacium objicerent? Illud ſophoclæum agitabant animô ſcilicet:

> Καλὸν μὲν οὐκ ἔστι τὰ ψευδῆ λέγειν,
> Ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀληθεῖ' ἄγει,
> Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστι καὶ τὸ μὴ καλόν.
> *Mendacium quidem haud honeſtè dicitur,*
> *Sed quando multum noxia cuiquam eſt veritas,*
> *Veniam is meretur, falſa quamvis dixerit.*

Fructum nempe homines novandi cupidi colligunt ſingularem ex mendacio vel per unam diem vitali. Interim incautus aliquis adjungitur partibus: diſcutitur imminens tempeſtas. Ex fœderatis non promovendus alias. Dum mendacium viget, promovetur ad cathedram, præficitur gregi. Doctor creatur, adlegitur in ſanctius collegium. Dum libellus manibus teritur, neque interea quidquam reponitur, canunt plenis buccis victoriam, quicumque factioni, aut partibus ſtudent: ſilentium adverſariorum cauſæ ſuæ bonitati aſſignant: plauſum apud imperitos captant: & è turba facilè non unus applauſor accedit.

Neque verò adeo caduca ſors libellorum hujus generis, aut miſerabilis conditio, quamquam brevem lucis uſuram nonnullis in locis nanciſcantur. Poſtquam enim ſuo munere præclarè functi ſunt, & parentis ſui conſilio ſtrenuè ſervierunt, non ita tumulantur, quin in novam vitam revocentur alibi & typos iterum fatigent, ubi res aut opportunitas poſtulare viſa fuerit. Ex Belgio migrant in Gallias, & ſæpe volant trans Alpes, aut in conterminam Belgio Germaniam ſe recipiunt, & à caris ſibi capitibus meritam arcent ad tempus invidiam, aut

aut erroribus illuc hactenus non tranſgreſſis parant hoſpitium. Ita non unus eſt libellorum horum fructus. Et certè niſi id longo jam uſu experti eſſent veneni hujus ſatores, non adeo ſæpe eundem moviſſent lapidem,& ludicrum certamen inſtauraſſent. Unde non ſine cauſa reor non mediocrem reipublicæ Chriſtianæ, & bonæ rectè ſentientium cauſæ operam navare, quiſquis ejuſmodi mendaciis vel ad unum diem vitam eripuerit: longè autem optimè de Eccleſia orthodoxa meritum, quiſquis ortu in ipſo ſuffocarit. Equidem non ita lentè accinxiſſem me, ad compeſcendos clamores hominis bonis omnibus impotenter inſultantis, quanquam certaminum hujuſmodi inſolens, & manſuetioribus litteris innutritus, niſi ſperaſſem me militum in hac palæſtra veteranorum vigilantiâ ac diligentiâ præveniendum. Præſtat ſerò graſſantibus flammis aquas affundere, quam nunquam.

Statui igitur ante omnia oſtendere, inaniter & falsò gloriari Theologos pſeudo-Auguſtinianos, ſuorum articulos Romæ fuiſſe umquam approbatos; id eſt malè compacti ædificii ſimul & ſemel fundamenta ſubvertere, quod jam ante me ab aliis præſtitum, quorum armis ſeu rationibus invictis liberè utar.

Deinde vaniſſimæ narrationis commenta, & totius libelli cætera flagitia brevibus perſtringam, arteſque & dolos & perfidiam veritati inſidiantium ponam ob oculos.

Habes Lector hujus meæ velitatiunculæ ſummam. Nunc ad rem aggredior.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Vtrum Theologorum pſeudo-Auguſtinianorum Articuli Romæ fuerint aliquando approbati. Inanem eſſe & commentitiam approbationis toties jactatæ famam, rationibus vincitur neceſſariis.

ARdua quæſtio, & ex qua velut ex cardine graviſſimæ controverſiæ finis & partium victoria (ſi fides Adverſariis) ſuſpenditur. Quæſtionis tamen hujus ſolutio non difficilis. Neque enim ex Dialecticis argutiis, aut ex ſubtilibus Metaphyſicorum ſpeculationibus pendet; ſed ex ſola Fabularum fide. Approbatos eſſe articulos ſuos ambigui nominis Auguſtiani jactant. Nos negamus: Tabulas poſcimus, quibus fidem approbationi faciant. Quid æquius? Nullas exhibent. Cur indignantur, ſi non ſumus, ut vulgus creduli? Jmo verò, inquies, Breve exhibent ſive Epiſtolam Alexandri VII. ad Epiſcopos Galliæ, qua doctrinam famoſis Articulis comprehenſam, *ſanam* prædicat. Breve iſtud in nullius hactenus Janſeniſtæ libris videre mihi integrum contigit. Cautiores ſunt: non exponunt luci ſua vulnera. Mutilam Epiſtolæ non prolixæ laciniam oſtentant, ex qua nonnullos apices in cauſæ ſuæ patrocinium non eliciunt, ſed extundunt. Exemplo ſit Adverſarius hic meus. Has ille lineas ex Brevi reſecuit. *Pag.* 24. *Illud non mediocri gaudio animum noſtrum perfudit, quod litteris ex Gallia recens allatis accepimus, illorum indies creſcere numerum, qui recta ſapiunt. . . . . . ad ſaniorem doctrinam inducti.*

Vides hunc hiatum? Extritas crederes ſyllabas aliquot aut voces nihil facientes ad cauſam, compendii & temporis gratiâ? Nihil minus. Quot omittuntur hic ſyllabæ, tot celantur malæ cauſæ plagæ. Explicat primo Pontifex proximè ſubjectis verbis quæ reſecantur, quid ſit hoc loco juxta mentem ſuam *recta ſapere*; *ſubjicere* nempe *ultrò ſe Conſtitutionibus* Apoſtolicis janſenianam Hæreſim proſcribentibus. Ea ſi appoſuiſſet, qua ratione poterat iiſdem abuti detorquendo ad approbationem ancipitium Articulorum? Deinde meminit decreſcentis eorum numeri, *qui à veritate auditum avertunt & variis inanium interpretationum argumentis decepti decretis Apoſtolicis refragantur.* Hæc ille deſcriberet, & non eſſet cauſæ ſuæ prævaricator. Tum laudat Epiſcopos, quorum exemplo & conſilio & operâ ad ſaniorem doctrinam inducti non pauci ſunt. Cur & illa extriverit, patebit inferius. Jam verò membra orationis planè diſparata in unum compingit, quia ſic utile eſt cauſæ. Præclarum enimverò ſpecimen fidei janſenianæ! En vobis textum integrum. *Illud autem non mediocri gaudio animum noſtrum perfudit, quod litteris ex Gallia recens allatis accepimus, illorum indies creſcere numerum, qui recta ſapiunt PRÆFATIS CONSTITVTIONIBVS SESE VLTRO SVBIICIENTES; illorum verò decreſcere, qui à veritate auditum avertunt, & variis inanium*

interpretationum argumentis decepti, decretis Apoſtolicis refragantur. Is fuit egregius ſanè laborum veſtrorum fructus, majoris ſcilicet, & potioris partis, ut multi iique cæterorum nomine primarii, exemplo veſtro, conſilio & operâ ad ſaniorem doctrinam inducti, ea, qua par eſt (ut credimus) animi demiſſione, ſeſe paratiſſimos exhibuerint ad illa omnia præſtanda, quæ ipſis à ſede Apoſtolica præſcribentur. Quid cenſetis Quirites? Articulorum non meminit Pontifex, & tamen approbat. Hic ſcilicet mos eſt Romanis Pontificibus uſitatus, doctrinam inter partes ventilatam ſolenniter approbandi. Nihil agit, niſi cauſam aliter inſtruat Adverſarius. Vel ipſi factionis janſenianæ jurati id ultro agnoſcent. Videamus quo conatus ejus erumpat.

Multa ergo præfatur de Diſcipulis S. Auguſtini Articulorum conditoribus Lalanio & Girardo, de Convenarum Antiſtite multa, qui præcluſam Theologis iſtis adverſariorum artibus ad Pontificem viam primus aperuerit, & pacis ſequeſtrum egerit. Romam nempe Articulos Epiſcopus tranſmiſit, addita benè longa Theologorum horum jam reſipiſcentium, ut credebat, commendatione. Poſt varias tandem ſtrophas præſentiâ animi nullis niſi novatoribus propria audacter affirmat *pag. 24. Articulos legit Pontifex, & ſanioris doctrinæ pronuntiavit. Conferens enim eam doctrinam, (quam ab illis doceri ex adverſariorum ſuggeſtione* antea crediderat) *cum ea, quam fidelibus oculis ſubjectam tum temporis habebat, hæc lætitiæ verba ſcribens effudit. Illud non mediocri gaudio.* &c. Quis non crederet hæc legens Pontificis gaudium ex eo natum, quod Auguſtini diſcipulos hæreſios tanto jam tempore poſtulatos, & a Se ac Deceſſore ſuo damnatos, jam verum edoctus, agnoverit innocentes, lectа eorum doctrinâ non alienis ſed propriis coloribus picta? Nulli lectum credidit Pontificis reſponſum, legendum Nulli, quisquis hæc audet. Fungos & ſtipites nos putat, quibus adeo ſuaviter ſperat imponere. Illuſum ſcilicet vanis criminationibus ſe Pontifex palam profitetur, ac præproperam quodammodò ſententiam retractat; credite Poſteri. Et ipſum Alexandro octavo rerum omnium conſcio, perſuaſum cupit; non quo Pontificem, ſed quo miſeros Belgas hac non vulgari ſua confidentiâ fallat.

Articulos legit Pontifex. Legerit, non repugno. Inficiantur tamen alii, & non injuriâ: ſunt enim non leves cauſæ, quæ ſuadeant non legiſſe quas Arnaldi Antagoniſtes Gallus in ſuis obſervationibus recenſet. *Sanioris doctrinæ pronuntiavit*: Id omnibus modis inficior. Quì probas? Gaudet Pontifex nonnullos *ad ſaniorem doctrinam inductos eſſe. Hoc ſi non eſt*, inquit, *articulos ab omni erroris ſuſpicione liberaſſe; quid ſit ſanior doctrina, prorſus nos fugit.* Noſtin quid ſit *recta ſapere*? Id ne te fugeret, Pontifex diſertis verbis monuit; *ultro* nempe ſe *Apoſtolicis conſtitutionibus* Janſenianam Hæreſim proſcribentibus *ſubiicere*. Nec aliud quidpiam per ſaniorem doctrinam hoc loco intelligendum, etiamſi Pontifex ipſe non ſatis luculenter oſtenderet, res ipſa ſeu ſtatus controverſiæ monere debuiſſet. Monuit jam olim P. Ferrerius negotii totius conſcius. Monuit Auctor Epiſtolæ ad Principem in aula virum, qua libellus ſupplex

plex per Auguſtini Diſcipulos Regi Galliæ oblatus, copiosè confutatur; monuit & ſolidis rationibus evicit is, qui accuratiſſimis obſervationibus Arnaldinovam Apologiam novi Teſtamenti Montenſis nuper evertit: Monuit Eximium Martinum Henricum Swaene R. P. Iſaacus de Bruyn è Societate Jeſu Theologiæ Profeſſor Lovanii, & ita monuit, ut non habuerit Eximius quod reponeret. Illius de hac re diſputationem brevem, ſed nervoſam hic (ne actum agam) integram ſubjicio.

Theſis R. P. Iſaaci de Bruyn Profeſſoris S. Theol. è Societate Jeſu adverſus Eximium Martinum Henricum Swaene inter aliàs tergiverſationum cauſas, cur Janſenii doctrinam proſcriptam agnoſcere recuſet; & hanc allegantem, quod Articulis Auguſtinianorum adhæreat Romæ approbatis.

VIII. Tergiverſationis Eximii Ratio.

„UT *omnis tandem aliquando ceſſet cavillandi ratio*, inquit Eximius §. 4. „*unaq́ oſtendam nihil me tenere circa* 5. *Propoſitiones famoſas, niſi* „*quod Scholæ Thomiſticæ, imò & Apoſtolicæ Sedi ſit probatum; profiteor palam* „*me ſincerè & ſine omni reſtrictione ſubſcribere articulis illis, per diſcipulos S.* „*Aug. Epiſcopo Convenarum propoſitis & per ipſum S.*[tæ] *Sedi oblatis, ab eaq́* „*teſte R. P. Goneto Dominicano approbatis*, hos articulos dein ſubnectit, ut totidem veritates Catholicas.

Animadverſio.

„PAucis lineis errorem nobis exhibet hîc Eximius non unum. Primus eſt; quòd „articulos hîc ſatis notos venditet, ut Scholæ Thomiſticæ (univerſim, ut intel- „ligo) probatos. 2. Quod aſſentiri velit Goneto affirmanti, eoſdem ab Apoſtolica „Sede eſſe approbatos. 3. Quod aſſerat per diſcipulos S. Auguſtini (niſi Iprenſis „Janſenii intelligat) Convenarum Epiſcopo illos eſſe propoſitos. Meretur hæc fa- „bula exponi luci, quare ab ultimo exordiar.

„Ita eſt: obtulerunt dictos articulos Convenarum Epiſcopo Lalanius & Girar- „dus; qui, qualeſque viri! delecti nempe ab Arnaldo, Taniero, Singlanio & Ab- „bate Sancyrano, factionis Janſenianæ Principibus, ut turbas totâ Galliâ ob pau- „corum contumaciam excitatas, componerent, viamque inirent concordiæ: Lala- „nius, inquam, & Girardus qui doctrinam Janſenii, tamquam pro aris & focis „propugnaverant hactenus. Adverſùs Vaticanum fulmen & ab Innocentio X. & „Alexandro VII. evibratum imperterriti: qui conſtitutionibus Apoſtolicis cum „ſumma omnium Galliæ ordinum offenſa ſubſcribere pertinaciſſimè detrectarant, „Pariſiis juſſu Regio ob inſignem hanc contumaciam pulſi: quos *iniquitatis filios*

 „(ne-

,,(neque enim in ullos alios juſtiùs, atque in hos cecidit hoc nomen) Alexander ,,nuncupabat: qui poſt tot congreſſus, cum Illuſtriſſimo Convenarum Epiſcopo ,,inſtitutos, in quibus ad debitum honorem & reverentiam Apoſtolicis decretis ,,exhibendam recuſantes impulerat, poſt datam haud ſemel privatim, publicèque ,,fidem, accepto rurſus Alexandri VII reſponſo, cui ſe citra exceptionem ſub-,,ſcripturos ſanctè ſpoponderant, Convenarum Epiſcopi, & Regis & Pontificis ,,exſpectationi (nota toti Galliæ loquor) ancipiti declaratione illudere haud dubi-,,tarunt. Atque hi ſunt celebres illi S. Auguſtini diſcipuli (Proſperos crederes, aut ,,Fulgentios) quos nomine adeò honorifico inſignit Eximius. Vide relationem fi-,,delem ac ſinceram R. P. Joannis Ferrier, quem ſibi in congreſſibus Convenarum ,,Antiſtes delegerat ſocium, à quo accuratè, quidquid in iiſdem tranſactum eſt, ,,recenſetur, ut agnovit ipſe Convenarum Epiſcopus, licet Janſeniſtæ alia omnia ,,ſuo more jactarent.

,,At, inquies, quidquid id eſt, eorum Articuli, unde ne ad latum quidem un-,,guem abeo, Romæ ſunt approbati. Ita Gonetus celebris Thomiſta teſtatur. At ,,quibus tabulis ſuum id teſtimonium Gonetus firmat? Nullane Pontificum ex-,,ſtat Conſtitutio, decretum nullum aut Breve, quo fidem dictis ſuis faciat Gone-,,tus? Id Eximius curat ſcilicet At curant alii: curant ii omnes, quorum inter-,,eſt verum noſſe. Credidit fortè Gonetus Arnaldo, ejuſque ſymmyſtis id per Gal-,,liam ſpargentibus: & eò faciliùs ac lubentiùs credidit, quod in animum induce-,,ret, non parum ex eo Thomiſticam de gratia efficaci doctrinam commendari: ,,quod Janſenianæ factionis Proceres, hactenus Apoſtolicæ Sedi adeò ſuſpecti, ubi ,,ad eam ſe confugere profeſſi ſunt: ſtatim inde ut Catholici à Pontifice fuerint ,,laudati. Ita de Goneto exiſtimat (ut ex litteris ad nos datis didicimus) Thomiſta ,,Gallus haud ignobilis, Theologiæ Profeſſor publicus, in Thomiſtarum doctrina ,,verſatiſſimus, ejuſque acerrimus defenſor, qui articulos hos cenſet eſſe minimè ,,Thomiſticos. Arnaldum igitur potius, quàm Gonetum hujuſce approbationis ,,teſtem appellaſſet Eximius. Ejus auctoritate in ſuam ſententiam traxiſſet haud ,,paucos. Cum Arnaldo nobis res erit, & non cum Goneto. Adducit is in refuta-,,tione Epiſtolæ ad Principem in aula virum pag. 51. & 52. Breve quoddam ,,Alexandri VII datum Romæ 29. Julii anni 1663. ad Archiepiſcopos & Epiſco-,,pos Galliæ, quo id ſe rationibus invictis concludere gloriatur. Ego verò provoco ,,ad omnium oculos, & animos, quos Janſenianum virus non faſcinavit, an vel ,,umbra quædam approbationis in eo perſpici, vel ratiocinando poſſit extundi. Ra-,,tionum hæc ſumma. Reſpondet hoc Brevi Pontifex ad Epiſtolam ad ſe cum arti-,,culis & declaratione Lalanii, & Girardi tranſmiſſam: largiamur id Arnaldo. At-,,qui in eo brevi Pontifex agnoſcit, exemplo conſilio & operâ Epiſcoporum ,,multos, interque eos ex præcipuis quoſdam, qui aliorum nomine cauſam tra-

,,ctan-

„ctandam ſuſceperant, eſſe *ad ſaniorem doctrinam inductos.* Manifeſtum eſt deſignari „hîc Lalanium & Girardum, eoſque omnes, quorum nomine egerant: neque hîc „refragor. Sed pariter manifeſtum eſt, non alia de cauſa exiſtimare Pontificem, „Doctores hos reſipuiſſe, quam propter Articulos, in quibus mentem ipſi ſuam cir„ca controverſiam tanto animorum æſtu agitatam candidè aperuerant. In hac ulti„ma aſſumptionis parte tota vis eſt: ſi hæc vacillat, nulla eſt concluſio. Nego igi„tur illam & pernego. Quâ verò ratione Arnaldus probat? *Aliàs enim*, inquit, *vel „incredibilis negligentiæ reus agendus eſt Pontifex, ſi quis ſibi fingeret, non legiſſe Alexan„drum Articulos quinque per Epiſcopum ad ſe miſſos poſt celebrem negotiationem; ubi de Eccle„ſiæ pace tractabatur: aut extremæ impudentiæ, ſi legiſſe credatur, & tamen quis velit de „fide Theologorum horum, non ex ipſa eorum declaratione, ſed potiùs ex narratione quadam „confuſa unius Epiſcopi judicaſſe.* Egregium enim verò & Arnaldo dignum Sophiſma! „Cujus ut vanitas fiat apertior, juverit obſervare pauca quædam. Ac primò qui„dem, Epiſtolam Epiſcopi ita fuiſſe conceptam, ut ſpem certam Pontifici faceret, „fore ut ii, qui decretis Apoſtolicis pertinaciter fuerant obluctati, manus darent, „& debitam à Catholicis hominibus obſervantiam deferrent. Eò reſpicit Pontifex, „cum ſub initio Brevis lætitiæ ſuæ cauſam unicè aſſignat, *litteris ex Gallia recens „allatis.*

„Alterum eſt, quod Lalanius & Girardus in adjuncta Articulis declaratione ſan„ctè pollicerentur, ſe Pontificis judicio in omnibus & citra exceptionem ſtaturos. „Ita enim ſcripſerant: *Si Sanctiſſimus Pater ampliùs aliquid à nobis deſideret, quo teſte„mur animi ſinceritatem, quâ fidei deciſionibus in Conſtitutionibus Apoſtolicis expreſſis adhæ„remus, ac propoſitum, quo decrevimus nullo modo violare aut lædere eaſdem Conſtitutiones, „exequi illud fideliter promittimus.*

„Præterea non agebatur jam hîc potiſſimum, quid Theologi iſti in materia de „auxiliis ſentirent: utrum ad Thomiſtarum an Jeſuitarum, aut aliorum caſtra ac„cederent; ſed in eo ſolo cardo totius difficultatis vertebatur, ut Janſenium (quòd „hactenus recuſabant) juſtè damnatum agnoſcerent. Hæc illorum detrectatio fe„cerat, ut & Pontifici & Regi & Epiſcopis & omnibus rectè ſentientibus eſſent „ſuſpecti. Neque poterat pax Eccleſiæ reddi, animique conciliari, niſi pernicio„ſum hunc errorem ponerent, quo Janſenii Auguſtinum exiſtimabant & mordicùs „tuebantur omnis eſſe erroris immunem.

„Ex quibus profectò liquet, quid ſibi Pontifex velit, dum Theologos hos, E„piſcoporum *exemplo, & conſilio & operâ ad ſaniorem doctrinam inductos* agnoſcit. Exi„ſtimabat enim, poſuiſſe jam illos pernicioſum errorem, quo pugnaverant decretis „Apoſtolicis, quatenus Janſenium reſpiciunt, non eſſe obtemperandum: librum „ſiquidem eſſe erroris immunem: cum jam ex litteris Epiſcopi, & eorum decla„ratione intelligeret paratos ſe Pontifici parêre, ſi quid ampliùs à ſe exigeret, quo

 , de-

„debitam Apoſtolicis decretis reverentiam teſtatam orbi facerent.

„Neque verò Pontifex aut Epiſcopi litteris aut Theologorum declarationi ple-„nam videtur fidem adjeciſſe: hinc poſtquam verba illa (in quibus vim omnem „ponit Arnaldus) retuliſſet, velut timidè ſubdit: *ut credimus*; veritus fortè, ne (ut elu-„ſerant hactenus) rursùs cavillus aliquis aut prætextus non deeſſet, quò quod pro-„miſerant, retractarent. Et profectò non defuit, ut poſteà patuit. Hinc in eodem „Brevi Epiſcopos perquam diligenter hortatur, ut manum ultimam operi admo-„veant & operam fortem navent, quo omnes & ſingulos inducant, ut (quemadmo-„dum par eſt) Apoſtolicis Conſtitutionibus ſe ſubmittant, *quinque propoſitiones ex Ian-„ſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, ſincero „animo rejiciant, & damnent.* Ad hunc igitur velut lapidem Lydium ſuſpecta inge-„nia jubet explorare, an in ſenſu Janſenii damnatas jure propoſitiones agnoſcant: „hæc eſt ultima manus quam operi impoſitam cupit.

„Denique poſtquam epiſtolam & Articulos acceperat Alexander, congregatio-„nem extraordinariam indixit, in qua deliberatum eſt, quid reſpondendum eſſet „ad epiſtolam Convenarum Epiſcopi, & Theologorum iſtorum declarationem.

„In hac congregatione concluſum eſt (quemadmodum teſtatur R. P. Ferrier, „qui in res haſce ſtudiosè inquiſivit, utpote cujus plurimum intereat) ut SS. Pater „Breve ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ mitteret, in quo collatam hactenus „ad Eccleſiæ pacem ſtabiliendam, operam laudaret, atque unà hortaretur, ut „omnibus viribus, adhibitâ etiam, ſi opus eſſet, publica regis ac magiſtratuum „operâ, ad ejurandos ſincerè Janſenii errores, quotquot id præſtare hactenus re-„cuſarant, pro auctoritate ſua adigerent: cæterum Articulorum ne mentio ulla „fieret: cum hoc jam non ageretur, ſed unicè Pontifex inſiſteret, ut datam fidem „Theologi iſti liberarent, ſincerè damnatis propoſitionibus in ſenſu Janſenii renun-„tiando. Atque ita Breve ad mentem hujus Congregationis conceptum eſt.

„Ex dictis hactenùs Bicornis ille Arnaldi aries ſponte ſua frangitur, & diſſilit in „partes. Non enim ullius negligentiæ reus eſt Pontifex, utpote qui articulos iſtos „& legit, & examinavit, quamquam nullum de iis judicium ferre voluerit, cum „hoc ad præſentem rerum ſtatum minimè eſſet neceſſarium: neque etiam ullius „imprudentiæ argui poteſt, utpote qui de fide iſtorum Theologorum non ex ſola „Epiſcopi Epiſtola, ſed maximè ex eorum declaratione judicarit. Imò ſingularis „hîc Pontificis prudentia eluxit, quando ſuſpectos Theologos ad hunc velut lapi-„dem Lydium explorandos voluit, ſolis promiſſis haud contentus; utrùm jure „damnatas in Janſenii ſenſu propoſitiones crederent, & faterentur. Neque verò „aliâ ratione Pontificis Breve Galliæ Epiſcopi interpretati ſunt. Simul atque ad „Epiſcoporum manus pervenit, Lalanium & Girardum ad ſe accerſiit Convena-„rum Antiſtes, & ut fidem liberarent, plurimis hortatus eſt. At illi ſuarum artium

„minimè

„minimè obliti, declarationem rurſus alteram concepere, ambiguam, captioſam, „cavillis obnoxiam. Hanc Regi tradidit Antiſtes; Rex examinandam præbuit qua„tuordecim Epiſcopis Galliæ, qui celebri conventu Pariſiis habito, unanimi con„ſenſu declarationem iſtam judicarunt, *ſub obedientia quadam ſpecie Ianſenii hareſim oc„culte continere.* Ita enim teſtantur ipſi in epiſtola de hac re ad Alexandrum miſſâ 2. „Oct. 1663. *Mirifica*, inquiunt *omnium noſtrum in his verbis* (de declaratione Lala„nii & Girardi ſermo eſt) *reprehendendis extitit conſenſio: viſa ſunt enim ſubdola, ſi„mulatum dumtaxat obſequium præ ſe ferentia, mente verſipelli & callidâ concinnata.* At„que hunc exitum habuit famoſa illa Convenarum Epiſcopi cum Janſeniſtis nego„tiatio.

„Haud ita multò poſt, ex illo ipſo Brevi, ubi lethale Janſeniſtis vulnus infligi„tur, apices quoſdam verborum aucupari cœpit Arnaldus, ut ſic velut per rimam „imminenti plagæ ſe, ſuoſque ſubduceret. At conatu, ut vidimus, irrito. „

Habes hic lector Auguſtini Diſcipulos Lalanium & Girardum ſuis, id eſt veris ac genuinis coloribus pictos. Habes Arnaldi Achillem non uno vulnere profligatum, quem hic ejus Armiger rurſus velut intactum in aciem reducit. Habes quatuordecim graviſſimorum Galliæ Præſulum (quibus addi poterat & Cardinalis unus) de *ſimulato* Janſeniſtarum erga ſedem Apoſtolicam *obſequio, mente verſipelli & callida* conſentientem ſententiam & regi oblatam, & ad Pontificem transmiſſam. Habes luculentum perfidiæ janſeniſticæ argumentum, & Regis & Pontificis illuſi. Hæc evertere ſi poterat, debuerat Arnaldi Armiger, vel Arnaldus ipſe; non accepta vulnera diſſimulare. Sed nullum vidit ſupereſſe vel in ipſa Rhetorica (cui fidit plurimum) vel in uſitatis ſibi offuciis ſubſidium. Acta igitur de integro fabula, nulla certaminis facta mentione, cum tamen ſuarum partium Pugilis jam feſſi, jam victi, jam exarmati meminiſſet.

Cæterum ne nihil huc contuliſſe videar ex verbis ab Arnaldo ex Pontificis Brevi excerptis, & ab ejus Armigero rurſus adhibitis eorum parte truncata, hoc conficio argumentum meo judicio ineluctabile; & ſimul cauſam aperio, cur hæc ſuperiùs verba fuerint extrita.

Illa doctrina ſanior appellatur à Pontifice, ad quam exemplo & conſilio & operâ nonnulli recens inducti nuntiabantur: atqui id unum egerant Epiſcopi exemplo, conſilio, & operâ, ut ſincerè fidei deciſiones amplecterentur ſuſpecti Theologi; Conſtitutionibus Apoſtolicis janſenii doctrinam deteſtantibus debitam obſervantiam deferrent; ne contumaciter (ut hactenus fecerant) reſiſterent; ne pacem Eccleſiæ conſuetis cavillationibus turbarent. Id ſe facturos ſanctè erant polliciti, quos ad meliorem frugem rediiſſe Pontifex ſperat. Quis Epiſcoporum (quos Pontifex laudat) auctor fuit ut conciperent Articulos, & pallium Thomiſticum arriperent, quo ſe Romano fulmini ſubducerent? Quis præivit exemplo? Quis in id contulit operam?

 Nullum

Nullum nominare poteſt Adverſarius: Ergo per *Saniorem doctrinam* hanc Pontifex intelligit, qua quis cenſet decretis Pontificum ſincerè obtemperandum; damnatam doctrinam in Auctoris ſenſu, pro damnata in eodem ſenſu habendam; non movendam facti vel ſenſus multiplicis quæſtionem hæreſum omnium excuſatricem.

Collectionis hujus ſive ſyllogiſmi propoſitio ex ipſo Brevi evidens & certa eſt. Aſſumptio jam utcumque confirmata, patet ex actis totius collationis, & præſertim ex ultimo coram tribus Epiſcopis congreſſu, ut mox oſtendam: Nec aliunde eſt, unde queat infirmari. Supereſt itaque, ut concluſio ſit invicta. Quid egit aliud illuſtriſſimus tunc Laudunenſis, nunc Cardinalis Eſtræus? Quid Harduinus de Perefixe Pariſinus Antiſtes? Quid ipſe Convenenſis? Nonne eò curas ſuas omnes convertere, ut miſſa longiore diſceptatione, debitam Pontificiis decretis obedientiam ſincerè exhiberent Eccleſiæ Gallicanæ perturbatores Theologi?

Conceperat P. Ferrerius declarationem, quinque Catholica dogmata cum damnatis quinque Janſenianis capitibus pugnantia, ab omnibus tam Jeſuitis quam Thomiſtis admiſſa continentem. Hæc declaratio Lalanio & Girardo oblata eſt approbantibus Epiſcopis controverſiæ Arbitris mox nominatis, atque ipſo etiam Convenenſi totius negotii Moderatore; ac adjecta erat hæc formula: „Huic vero Ca„tholicæ & orthodoxæ fidei contrarias quinque propoſitiones, ſuper quarum dam„natione editæ ſunt Conſtitutiones duæ, & damnatos in iis errores & ſenſus dam„namus, reiicimus, ac deteſtamur; iiſdemque cenſuris ac notis, quibus inurendas „exiſtimarunt ſummi Pontifices, inurimus, & ſumma cum ſubjectione libenter „atque ex animo ſuſcipimus, quæ de iſtarum propoſitionum erroribus in dictis Con„ſtitutionibus definiuntur, & indicarunt Innocentius X. & Alexander VII, *quo„rum poſterior, cum quinque illas propoſitiones in libro Janſenii contentas, atque in ipſo Auc„toris ſenſu damnatas diſertis verbis cenſuerit, ac declaraverit, hujus quoque definitioni etiam „hac in parte nos ſincerè ſubſcribimus.* „

Poſtrema clauſula (*quorum poſterior*) peſſimè habuit hos Doctores. Huic ut ſubſcriberent, induci ſe nequaquam paſſi ſunt: Quanquam duorum aliorum nomine, & ſuo, illuſtriſſimus Convenenſis plurimum urgeret, nec aliter imponi poſſe diſſidiis finem cenſeret. Neglecta trium Arbitrorum auctoritas: Novi fuci quæſiti: Inventus exceptioni locus. Jamque de negotii totius ſucceſſu deſperabatur: cum rurſus aggreſſus eſt Lalanium ad Girardum Convenenſis, & eò vel reluctantes flexit, ut ſtaturos ſe generalibus verbis religioſè & citra exceptionem promitterent iis omnibus, quæ conſultus denuò Pontifex reſponderet, aut à ſe exigeret. His pollicitationibus captus Convenenſis Epiſtolam exaravit benè prolixam, cui clauſulam ſupra à Janſeniſtis repudiatam inſeruit, paratos ſignificans vel illi ſubſcribere, modò Pontifex apertè mentem ſuam ediceret. Hæc Epiſtola tantum Pontifici gaudium peperit: ex illa ſpem concepit (Heu nimium vanam!) fore ut Janſeniſtæ poſita tandem contumaciâ,

dicta-

dictatæ à ſe Conſtitutioni manus aliquando darent. Hæ ſunt allatæ ex Gallia litteræ, ex quibus lætitiam non diuturnam hauſit Alexander.

Et certè adeo magna ſpoponderant Lalanius & Girardus, ut rerum geſtarum nuntio percepto ad Convenenſem Arnaldus ſcriberet, ne mentionem ſui faceret; nec enim ad ſe ſpectare quidquid Lalanius & Girardus præter ſociorum voluntatem ac conceſſam auctoritatem peregiſſent. At mox piguit Arnaldum, poſtquam intellexit patere effugio viam: atque aliis mox litteris, etiam ſuo nomine aleam jaci paſſus eſt.

Accepto Româ ſiniſtro reſponſo (hoc eſt eodem illo Brevi, quod hodie velut laureatum & Triumphale jactant, in quo Pontifex exigit ut quinque Propoſitionibus à ſe damnatis in Janſenii ſenſu, in eodem omnes ſubſcriberent, & dictos errores execrarentur) priorem protulit Arnaldus Epiſtolam, ut oſtenderet fidem Convenenſi Epiſcopo factam ad ſe non pertinere. Aliis fidem violare vel ſine prætextu licuit. Nec enim tanti famam faciebant publicam. Quid ad hæc quæſo reponet Adverſarius? Quibus artibus vim argumenti à nobis mox propoſiti declinabit? Ad Epiſcopos confugiet? Eorum exemplo, conſilio, operâ inductos fuiſſe dicet Auguſtini diſcipulos? At quorum? Eorumne, quorum honorificè meminit Alexander? At hanc ſibi viam, quæ ſupererat unica, præcluſit ipſe; *Pagina* enim 12. vanè gloriatur famoſos *Articulos Auguſtinianis non arte elicitos, non metu extortos, non argumentorum vi expreſſos, ſed ſponte oblatos, penè obtruſos.* Non igitur uſi ſunt Epiſcopis impulſoribus, non ſunt eorum exemplo moti, nec conſilio inducti ut conciperent, ut offerrent: ſponte obtulerunt, penè obtruſerunt: de iis igitur non agit Pontifex, qui de doctrina agit, ad quam Epiſcopi impulerant & exemplo & conſilio & operâ. Nec immeritò dixi vanè gloriari. Quis enim cui vel modica eſt rerum Gallicarum peritia, ignorat, quo loco eſſet res horum Theologorum hoc tempore in Gallia? Pulſi plerique erant Pariſiis ob contumaciam ſingularem: peſſimè tota Gallia audiebant: monſtrabanbantur digito ut perduelles. Urgebant infenſi Epiſcopi: Rex minabatur: Accidebant adverſa omnia. Exilium, metus, exiſtimationis cura, ſpes fortunæ melioris articulos extorſit in utramque partem verſatiles, in ſpeciem Thomiſticos, re ipſa Janſenianos. Tanti erat inſurgentibus undique adverſariis imponere, & hoc clypeo imminentes ictus retardare. Cedere tempori, Thomiſtam videri, donec grave nubibus ac tonitribus cælum fieret ſerenius, eſſe Janſeniſtam, conſilium viſum fuit longè opportuniſſimum.

Quò ſe jam vertet hic approbationis vaniſſimæ Buccinator, & argumentis R.P. de Bruyn conſtrictus, & meis? Audebitne poſthac hæc aut ſimilia ſpargere in vulgus: *Et quidem aliquando (quod ſolatio non minimo fuit) vicit Auguſtinianorum innocentia adverſariorum artes apud Apoſtolicam ſedem, quæ perſpicuam illorum fidei teſtificationem, falſis diu criminationibus obſcuratam, ſinceram tandem agnovit, qualem ſemper agnoverant plerique*

ſanctioris vitæ & ſolidioris doctrinæ Epiſcopi ac Theologi? Hos triumphos canit, & Breve Alexandri VII. aliquando legit? Non capio. Excors ſit aut amens, ſi legerit integrum: in illo enim Brevi adverſus victricem Auguſtinianorum Innocentiam Brachium Regis Galliæ implorat Pontifex, nihil remedii ſupereſſe videns in auctoritate Eccleſiaſtica, & tamen illorum fidei teſtificationem falſis diu criminationibus obſcuratam, ſinceram (ſi credimus) in hoc ipſo Brevi agnovit. Quis hæc intelligat? quis dicat in hominem poſſe ſanum incidere?

Ex iis quæ tum à R.P. Iſaaco de Bruyn, tum à me adducta ſunt hactenus, verſa penitus jacet & diffracta machina, cujus ope *inane & vacuum Janſenianæ Hæreſios phantaſma* (utor ejus phraſi) depuliſſe ſe fingit Adverſarius. Supereſt ut ea pariter frangam, quibus male cohærentem machinam fulcit.

Hinc autem primum fulcimentum petit. „Hoc ſenſu, inquit *pag.* 24 iſta Brevis „Apoſtolici verba ab Auguſtinianis Theologis accepta eſſe parum eſſet, niſi de „Pontificia ſuorum Articulorum approbatione ſibi ipſi gratulati eſſent in Gallica „declaratione ſuæ Majeſtati oblata 24. Septembris ejuſdem anni, eaque & ab illu„ſtriſſimo Convenarum Antiſtite prius examinata, & à Rege ſine contradictione „ſuſcepta, & Cleri Gallicani actis inſerta, ejus juſſu ad omnes miſſa Epiſcopos pu„blicique juris facta." Quot verba, tot fuci, ne dicam tot impoſturæ. Quis non crederet placuiſſe Regi Gallicam illam declarationem, placuiſſe Clero Gallicano, placuiſſe Epiſcopis? Quid aliud inſinuant hæc verba? Gratulati ſibi ſunt, ita eſt; ut ſolent ſubinde accepta clade etiam victi ignes ſtruere triumphales. Suſcepta eſt à Rege declaratio, ſed poſt inſtitutum illius examen per quatuordecim Epiſcopos atque unum Cardinalem, rejecta ut inſidioſa, ut ſubdola, ut Janſeniana. Cleri Gallicani actis inſerta eſt, ejus juſſu ad omnes miſſa Epiſcopos, publicique juris facta non ad commendationem, ſed ad ſempiternam Auctorum ignominiam. O planum hominem! ita Ludimur Belgæ!

Fulcimentum alterum ſimile priori eſt. „Hoc eodem ſenſu, pergit, ab illo qua„tuordecim Epiſcoporum cœtu 2. Octob: coacto, intellecta eſſe teſtatur Epiſtola „eodem die ad Pontificem ab illis ſcripta. Cum enim illic declarationem Regi ob„latam commemorent, partemque ejus nonnullam deſcribant, de altero illo ejuſ„dem capite procul dubio fuiſſent conqueſti, ſi falſa Brevis interpretatione & ſibi „& Principi impoſuiſſent Theologi." Hic eſt ille cœtus, cujus jam ſæpe mentio facta eſt, quo nullum in Gallia infenſiorem paſſa eſt peſtilens ſecta, quem tot famoſis libellis ut iniquum, ac officii ſui immemorem præſcidit. Ille cœtus, qui Regi auctor extitit, ut tergiverſantes Theologos poſt tot monita, pro regia ſua auctoritate ad parendum compelleret; ille inquam cœtus in illa ipſa Epiſtola, in qua perfidiam Janſeniſtarum Pontifici graviſſimis verbis declarat, arma ipſis ſua taciturnitate præbuit, quibus ſe tuerentur adverſus invidiam. Conqueſti non ſunt falſa Bre-

vis interpretatione Epiſcopi & ſibi & Principi impoſitum: interpretationem hanc igitur ſuo ſilentio approbarunt. Præclaram concluſionem! Ita illi homines ex ipſis ſuis vulneribus ſemper eliciunt medicinam. Quid ſi voces pauculas ex inſidiis collocatas neglexerint? non enim adeo elatis vocibus triumphum cecinere, ut fecere poſtea victi, in illa declaratione. Quid ſi non curaverint, de ſumma rerum (hoc eſt de præſtanda Pontificiis decretis ſinceræ obedientia) unicè ſolliciti? Siluerunt: Ergo approbarunt: hæc eſt vis Dialecticæ Janſenianæ.

En fulcrum aliud: „Hoc iterum ſenſu accipienda cenſuit illuſtriſſimus Convenenſis tum in prolixa ad Eminentiſſimum Cardinalem Franciſcum Barberinum „poſt 2. Octobris data, tum in altera è Diœceſi ſua ad Chriſtianiſſimum Regem „ſcripta 21. Januarii ſequentis anni 1664. quæ & excuſa habetur. In ea quinque „Articulos diſertis verbis aſſerit ſanioris doctrinæ eſſe à Pontifice appellatos: nihil „iis contineri, quod Scholarum Catholicarum loquelæ non congruat: per eoſdem „rem fidei, quo ad quinque Propoſitiones, in tuto eſſe poſitam; inde manifeſtum fieri, nullam Hæreſim novam eſſe in Eccleſia, nullos novos in Gallia Hæreticos; imò „per illos omni errori, hæreſique providentiſſimè occurſum." Nolo Epiſcopi illius jam vita functi manes ſollicitari. Conſtat interim Theologorum horum fuiſſe perſtudioſum, licet ſtudium iſtud aliquamdiu ceſſaverit. Poſtquam ad Tornacenſes infulas evectus eſt, non uno argumento prodidit. Cæterum nec oculos nobis nec mentem eripit, quibus Pontificis Breve legamus ipſi & intelligamus. Nec Regem hac ſua Epiſtola à conſilio dimovit, nec perſpicacioribus Galliæ Epiſcopis perſuaſit, ne latens virus & tacitè ſerpens perſequerentur; donec Galliam factionis Principes deſererent, eminùs tentaturi, quod coram non potuerant; ſecuriùs per Belgium noſtrum graſſaturi, & impuniùs.

Fulcrum quintum non minus debile eſt. Illuſtriſſimus Nicolaus Pavillonius Electenſis Epiſcopus *in Epiſtola 7. Novemb. anni 1667. data ad illuſtriſſimum Harduinum de Perefixe Pariſienſem Archiepiſcopum hæc habet*. „De quinque Propoſitionibus ſuam fidei profeſſionem totidem Articulis comprehenſam ad Alexandrum VII. Pontificem maximum miſerunt (S. Auguſtini Diſcipuli) quæ certè orthodoxa paſſim judicata eſt, in qua & ipſe Pontifex nulla ſe niſi ſanioris doctrinæ verba inveniſſe „reſcripto ſuo ſignificavit." Quam fuerit & hic Epiſcopus partium ſtudioſus, non opus eſt commemorare; plus ſatis notum eſt in Gallia, adeoque non eſt quod multùm nos commoveat ejus auctoritas: nec multùm commovit Harduinum de Perefixe vigilantiſſimum Antiſtitem noctu diuque intentum, ne lues Janſeniana gregem ſibi commiſſum inficeret: nec ejus ſucceſſorem Franciſcum Harlæum eadem veſtigia conſtanter prementem. Sciebat nempè Harduinus, quibus oculis Pontificis reſcriptum legiſſet Pavillonius, & Harlæus probè novit. Qua verò ratione *teſtificationem* de quinque Propoſitionibus *fidei profeſſionem* appellet hic Antiſtes, non video:

Fidei enim profeſſio exigit; ut clarè edicant ſuſpecti homines, quid de quinque Propoſitionibus ſentiant: damnatas agnoſcant, nec ne. Nulla autem in his Articulis rei hujus mentio, nulla doctrinæ Janſenianæ, quam præſcribit Pontifex & proſcriptam jubet agnoſci.

Quintum fulcrum repetit ex Joanna Baptiſta Goneto Thomiſta percelebri, qui famoſos Articulos clypeo ſuo Thomiſtico inſeruit, velut Romæ approbatos. Sed mancum eſſe hoc fulcrum ſupra oſtenſum à R. P. Iſaaco de Bruyn: unde non eſt cur illius vim hiç pluribus elevem.

Supereſt fulcrum ultimum nihilo cæteris ſolidius. Ita pergit: „hoc denique „ſenſu Breve interpretantes Thomiſtæ ſecuti ſunt, ſequunturque paſſim eruditi „quique Theologi, ipſique etiam, ut audio, Romani. Inſtar omnium erit Theo„logica Academiæ Lovanienſis ſchola longè clariſſima, ac doctiſſima, in qua fre„quenter proponuntur propugnanturque Articuli, velut accuratum doctrinæ Au„guſtinianæ & Thomiſticæ ſpecimen, vixque Theologicæ Dux Apoſtolicæ ſedi „probatus, quem qui ſecutus fuerit, extremos quoſque quinque Propoſitionum „errores ac præcipitia vitare certus ſit." Quod de Thomiſtis ait, non plures adducere poteſt quam geminos Gonetum & Contenzonium: de Goneto jam dictum: Contenzonium non moramur, cum Thomiſtæ ipſi illum habeant pro ſpurio, & Natalis Alexander ut interpolati Janſeniſmi illum non ſine juſta cauſa inſimulet: Quod de *Theologis quibuſque eruditis*; eruditus fit vel una nocte, quiſquis cauſæ Janſenianæ ſtudet; fit ſanctus, aris tantùm non imponitur; ſemper memoratur cum elogio. Quiſquis oppugnat, rerum omnium eſt rudis, oſor veritatis, hoſtis bonorum morum, antiquitatis impugnator: & quid non? Nullus eſt liber, in quibus hi floſculi non ſeruntur. Theologos Romanos Articulis Patrocinari habet tantùm ex fama, qualis domi ipſis quotidie naſcitur. Niſi Theſes Romanas videro, non credam; non ſum tamen præfractè incredulus. Cæterum Academiæ Lovanienſis Scholæ Theologicæ ſuam claritatem ac ſplendorem non invideo. Opto potius ut novum quotidie ſumat incrementum. Hoc ſcio & plurimùm doleo, non parum illi deceſſiſſe quorumdam Doctorum tergiverſatione in ſuſcipiendis decretis Apoſtolicis Janſenii Doctrinam fulminantibus; & hodie non nihil decedere, dum ex iis quidam deſperatam Janſenii cauſam tueri pergunt armis Thomiſticis, aut certè doctrinam ejus proſcriptam profiteri ſæpius provocati detrectant. Quod ad Articulos ſpectat, ſufficit in Gallia eſſe cuſos, ut quibuſdam Lovanienſibus placeant. Quam ſint mercium Gallicarum avidi, lippis & tonſoribus notum eſt. Quidquid Arnaldus ſcribit aut loquitur, adoptant velut ex Tripode dictatum. Omnes illius libri verſantur & in Magiſtrorum & in Tironum manibus: ſunt qui vel ſolius Arnaldi intelligendi gratiâ non ſine gravi tædio ac labore linguam Gallicam didicerint. Ab Arnaldi oraculis nefas eſt vel ad latum unguem abire. Ex Arnaldi libris

Novas

Novas Methodos, nova Specimina Moralis Chriſtianæ & Diabolicæ, novos Catechiſmos concinnant. Adoptatos itaque hoſce Articulos mirum videri nemini debet, cum fœtus eſſe credantur Arnaldicus, *αὐτὸς ἔφα*.

Quid his hominibus facias? Argutiarum numquam deſinunt, fucos & offucias ſemper habent venales, quibus ex quolibet efficiant quidlibet. Publicatum eſt in Belgio juſſu Sixti V. Breve anno 1588, quo Cenſuræ adverſus Leſſium latæ antiquabantur. In Brevi diſertis verbis pronunciatur, Leſſii propoſitiones (quas acerrimi ejus Adverſarii improbaverant) eſſe *ſanæ Doctrinæ Articulos*. Quid hic agunt acuti Theologi? Ex Brevi Alexandri, ubi Articulorum nulla fit mentio, approbationem ſuæ doctrinæ eliciunt: imò manifeſtè illic legunt: cæci ſunt præ invidia, qui approbatos inficiantur. Jam iidem illi Lyncibus oculatiores in Sixtino Brevi cæcitatem affectant plus quam talparum: nihil illic vident quod Leſſii cauſæ faveat, nihil quod Cenſurarum injuſtitiam arguat. Et tamen Leſſii Articuli turpibus notis inuſti illic prædicantur diſertiſſimè *ut ſanæ doctrinæ Articuli*. Quid ſi Jeſuitæ jam utantur Adverſarii hujus mei ratiociniis? Quid ſi innumeros adducant omnis ordinis & generis Theologos, Epiſcopos, &c. (quod illis eſt perfacile) qui Breve illud ſic interpretati ſemper fuerint, hodieque ſic interpretentur, ac ſi Leſſii Articuli doctrinam prorſus ſanam & nulli Cenſuræ obnoxiam complectantur? Acquieſcentne? Minimè gentium. Alia excogitabunt, atque alia effugia. Sunt qui malint ipſum Breve reformare, ne dicam adulterare. Voculam (*Sanæ*) judicant illi expungendam, atque illius loco ſubſtituendam alteram, meo ſed non illorum judicio, Leſſio & Jeſuitis faventiorem. Cenſent igitur ſic legendum; *Super quibuſdam* SACRÆ *doctrinæ Articulis*. Anceps planæ vocis hujus (*ſacra*) ſignificatio, & res ſubinde oppoſitas notat. Sic cum apud Poëtam dicitur, *Auri ſacra fames*, vox (*ſacra*) illic idem ſonat, quod execranda & deteſtabilis. Hoc ſignificatu voculam in Brevi accipiendam, ne ipſe quidem Livor dixerit, cum totus Brevis contextus huic acceptioni repugnet. Reſtat igitur ut juxta acceptionem uſitatiorem idem ſonet, quod vox *ſancta*, atque ita ſcripturas paſſim *ſacras* appellamus, utpote divino ſpiritu dictante & conceptas & approbatas, & illius teſtimonio munitas. Jam non ſana tantùm, ſed & ſancta atque conſecrata erit Leſſii doctrina. Atque ita dum eludere tentant acceptam à Pontifice doctrinæ Leſſianæ commendationem, ipſimet roborant, pluſque Jeſuitis largiuntur, quam poſtulent. Atque hæc quidem à me dicta ſunt, non ut doctrinæ Jeſuitarum patrociner, quæ me defenſore non indiget, ſtatque ipſa per ſe poſt tot examina, tot pugnas & prælia, velut rupes inconcuſſa: ſed ut Theologorum iſtorum eruditus Lector miretur ingenia, qui rebus clariſſimis, quæſitis argutiis, affundunt tenebras, reſque ancipites & obſcuras aſcititio lumine ac ementitis coloribus illuſtrant, pro ut cauſæ ſuæ toties conclamatæ ratio poſtulat; Caco illi ſimiles (de quo in fabulis) qui fumum modò exhalabat ore, & denſa caligine involvebat locum,

F deli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

deliteſcere cupiens; modò luculentum ſpirabat ignem, ac caliginem diſſipabat ſperans à lumine præſidium.

Jam verò ut Adverſario ultrò largiar id, quod argumentis nullis extorquere poteſt; famoſos Articulos Romæ fuiſſe approbatos: Quæro quo ſenſu? Thomiſticone, qualem verba præ ſe ferunt; an Janſeniano, qualem ſtudioſè celant? Si Thomiſtico: jam nullum ex hac approbatione peti poteſt cauſæ Janſenianæ præſidium; cum Thomiſtarum doctrinam jam olim vetuerint cenſurari Romani Pontifices, qui Janſenii placita atro calculo confixerunt. Si Janſeniano? Jam in eodem Brevi Romanus Pontifex ſecum ipſe turpiſſimè pugnat, & eandem doctrinam damnat hæreſios, quam approbat. Ita peſſumdatur Pontificum auctoritas, ut triumphet Janſenius. Vel enim cum damnat Janſenium, aberrat à vero (quod inſinuat hic meus Adverſarius, alii altiore voce aliquando jactarunt) vel cum ejuſdem doctrinam approbat. Sua quippe judiciis adeò inter ſe pugnantibus nequit ſtare veritas. Errat igitur Pontifex: nec humani tantùm aliquid patitur, ſed inſtar ſomniantis errat aut Ebrii, qui in paucis lineis adeò ſecum apertè luctatur. Quod certè nemo dixerit eſſe vigilantis. Hæc cum à Theologis dicuntur, qui ſe pro Catholicis gerunt, hæreticis riſum movent, rectè ſentientibus excutiunt lacrymas. Sed cum nulla dicantur veri ſpecie, nec riſum hunc nec dolorem ſpero fore diuturnum.

Juverit hic ipſum Breve integrum appendere, ut æquus lector intelligat, quantum Janſenianæ cauſæ faverit Alexander; quanto jure poſt tot ſtrages Pœana canant Iprenſis Auguſtini Diſcipuli, & adverſantem ſibi Pontificem in ſua caſtra pertrahant vel invitum.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabiles Fratres ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

„UT nulli veſtrûm incompertum eſt, quanta ſolicitudine Innocentius X felicis „record: Prædeceſſor noſter *Janſenianam Hæreſim* radicitùs evellere conatus „fuerit; quanta nos ipſi curâ & inſtantiâ idem propoſitum indeſinenter proſequi „non deſtiterimus: ita nobis probè compertum eſt atque perſpectum, quam indefeſſo ſtudio plerique veſtrûm Conſtitutiones Apoſtolicas in Janſenii cauſa edi„tas executioni mandari procuraverint. Illud autem non mediocri gaudio animum „noſtrum perfudit, quod litteris ex Gallia recens allatis âccepimus, illorum indies „creſcere numerum, *qui recta ſapiunt, præfatis Conſtitutionibus ſeſe ultro ſubjicientes*; „illorum verò decreſcere, *qui à veritate auditum avertunt, & variis inanium interpre„tationum argumentis decepti, decretis Apoſtolicis refragantur.* Is fuit egregius ſanè labo-

„rum

„rum veſtrorum fructus, majoris ſcilicet & potioris partis, ut multi, iique cætero-„rum nomine primarii *exemplo veſtro*, *conſilio & operâ ad ſaniorem doctrinam inducti*, „*ea qua par eſt* (*ut credimus*) *animi demiſſione ſeſe paratiſſimos exhibuerint*, *ad illa omnia* „*præſtanda*, *quæ ipſis à ſede Apoſtolica præſcribentur*. Unde jam meritò ſperare poſſu-„mus, juvante Domino, brevì fore, ut feliciter cæptum opus, feliciùs perficiatis: „præſertim ſi, ut per dictas Conſtitutiones mandatur, in dictam executionem ſeriò „incumbentes tandem obtineatis, ut omnes eadem fide & caritate concordes in via „Domini ambulent; implorato etiam, ſi opus fuerit, Regis Chriſtianiſſimi ſubſidio; „cujus in hac præſertim cauſa maximus zelus mirum in modum enituit: quod reve-„ra ut ſumma laude dignum putamus, ita eidem maximæ gloriæ & ſingulari apud „Deum merito verſum iri judicamus. Pergite igitur, Venerabiles fratres, operi „ultimam alacriter manum admovere, & procurare impenſè, *ut omnes præfatis con-*„*ſtitutionibus Apoſtolicis ſe, ut par eſt, ſubjiciant; & quinque Propoſitiones ex Ianſenii libro,* „*cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout per dictas con-*„*ſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit*, *ſincero animo rejiciant & damnent*. Ad quod illa „omnia remedia, quæ vobis pro executione earumdem Conſtitutionum efficaciora, „magiſque opportuna videbuntur, adhibere poteritis. Cæterum eximiam cariſſimi „filii noſtri Regis Chriſtianiſſimi pietatem à nobis ſæpius probatam & laudatam „animo recolentes, plurimum de illa nobis pollicemur: nec dubitamus, potiſſimum „ubi opus erit, quin is ad frangendam nonnullorum, ſi qui remanſerint, contuma-„ciam, vobis auxiliares manus porrigere, & brachium regium præſtare dignetur. „Illi denique ac Fraternitatibus veſtris benedictionem Apoſtolicam paterno animo „impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die „19. Julii M.D.C.LXIII. Pontificatus noſtri anno nono.„

J. FLORENTINUS.

Inſcriptum erat Breve: Venerabilibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Regni Galliæ.

VErba Brevis hujus adeo clara ſunt, ut minimè neceſſarium videatur eadem notis quibuſdam illuſtrare: quoniam tamen ea eſt quorundam hominum ſi non cæcitas, certè pervicacia, ut rebus etiam apertiſſimis, niſi prorſus convicti, non cedant, nec alios cedere patiantur; nonnulla adnotare operæ pretium judico.

Indicat primò Alexander ſingularem ſolicitudinem qua & prædeceſſor ejus Innocentius & ipſe *Ianſenianam Hæreſim* radicitùs evellere laboravit. Et hi nobis homines perſuaſum eunt, neque nobis ſolum, ſed ipſi Romano Pontifici Alexandri VII. ſucceſſori Alexandro VIII. Janſenianam Hæreſim inane eſſe ſpectrum: monſtri illius vaniſſima imagine velut inter ſomniandum luſos eſſe Romanos Pontifi-

ces,

ces, & nequidquam panico timore territos,tantis curis æſtuaſſe. Pontificum oculos neſcio quo faſcino, aut quibus præſtigiis captos, in belluam umbratilem brutum fulmen libraſſe.

Indicat deinde gaudium gemino ex capite ortum:ex eo nempe,quod multi ultro Pontificias Conſtitutiones amplecterentur, & Janſeniſmo (cui imprudentes faverant) nuntium remitterent: alii verò, qui patrocinati erroribus diu fuerant,exempla meliora ſecuti reſipiſcerent, & paratiſſimos ſeſe exhiberent, ad præſtanda illa omnia, quæ Sedes Apoſtolica erat præſcriptura. Sed quam inanis fuit Alexandri Eccleſiæ ſuæ metuentis cura ac metus, tam inane fuerit gaudium neceſſe eſt, ſi de languenti jam ac brevi expiraturo Janſeniſmo (deficientibus quotidie primariis ejus Patronis) gaviſus eſt.Si non niſi inane ſpectrum fuit Janſeniſmus, de confecto ac ſubacto Janſeniſmo non potuit ſolidum eſſe gaudium.

Tertiò nihil actum monet ab Epiſcopis (quos tamen impensè laudat)ob ſingulare bonæ cauſæ ſtudium,niſi ultima manus operi imponatur; hoc eſt, niſi Theologi illi(qui meliora ſpoponderant)eò per Epiſcopos inducantur, ut Janſeniſmo (hoc eſt,damnatis quinque Propoſitionibus in ſenſu à Janſenio earum Auctore intento) ſincerè & apertè renuntient. Unde ſatis inſinuat quo loco habendi ſint ii, qui ea ratione renuntiare modis omnibus detrectant.

Quartò Hortatur Epiſcopos,ut in contumaces manus auxiliares & Brachium regium implorent. Et eo revera opus erat adverſus eos, qui cenſuris Eccleſiaſticis & uſitatis pœnis non commovebantur. Et ſanè muneri ſuo laudatus à Pontifice Rex non defuit. Eſtne credibile & Pontifices, & Regem, & Epiſcopos Galliæ pene omnes eodem faſcino,iiſdem præſtigiis fuiſſe luſos, ut inane & ſine corpore monſtrum ferro & face Eccleſiaſtica & ſæculari poteſtate perſequerentur? Eſtne credibile, Alexandrum Theologorum illorum approbaſſe doctrinam, & tamen armatæ Regis potentiæ velut contumaces, velut Hæreſios Patronos objeciſſe? Eſtne credibile,doctrinam eum ſanam prædicaſſe, quæ cum doctrina in Janſenii libro tradita non conſpiret ſolùm, ſed eadem ſit; idque in illo eodem Brevi, quo doctrinam ex Janſenii libro ſe judice hauſtam, proſcribit & execratur? Hæc tamen omnia vèra ſint neceſſe eſt,ſi Janſeniſmus inane ſpectrum eſt, ſi nullus umquam extitit Janſeniſmus; ſi doctrina Janſenii libro contenta,ſana eſt;& ut ſana ab Alexandro prædicata. Hæc tamen uſque adeo paradoxa, uſque adeo à communi ſenſu aliena nobis Belgis propinat Theologus(ſi ſuperis placet) Auguſtinianus; & ut fidem inveniat, è latebris ſuis Romano Pontifici dicat. Hunc agniturum aliquando ſperat, aut ſperare ſe fingit, Innocentium X. ab Epiſcopis Galliæ atque Sorbona fuiſſe deceptum. Fuiſſe deceptum Alexandrum VII: at illum ipſum etiam inſcientem reſipuiſſe,dum probavit (ut aſſerit) famoſos Auguſtinianorum hypobolimæorum Articulos, doctrinam complexos ab ea non diſcrepantem,quæ in Ianſenii libro continetur, licet in ſpeciem

ciem non nihil diſcrepet ab ea,quæ à Galliæ Epiſcopis Romæ ad Cenſuram propoſita fuit. Id ipſum confirmatum iri ſolenni quadam Conſtitutione, atque ita os obturandum iis omnibus, qui de rediviva hæreſi, quæ nunquam fuit, tam multa jactant: Epiſcopos & Reges fatigant, Cardinales obtundunt, Inquiſitores enecant, Orbem denique univerſum ſollicitant. Ita Pax erit Eccleſiæ, nullo pacto umquam aliàs obtinenda. Nam Auguſtiniani iſti certi ſunt numquam agnoſcere, ullam potuiſſe inuri Janſenio maculam, niſi & Auguſtinus concideret. Certi ſunt numquam quieſcere, niſi tam orthodoxa judicetur Ipreнſis Auguſtini doctrina, quam orthodoxa habita eſt & habetur doctrina Auguſtini Hipponenſis. His conditionibus pax eſto. Si ſecùs quis ſtatuat, æternum imminet bellum:rimantibus telum dabit ira, ſeu potius amor Janſenii: pugnabitur omnibus cavillis, fucis,offuciis,coloribus,ſycophantiis, donec ſuccumbant tandem innumeris calumniis victi veritatis Patroni, Oſores Janſeniſmi.

CAPUT SECUNDUM.

De Auguſtinianæ expoſitionis olim conditæ, nunc denuò publicatæ Conſilio & Occaſione brevis Narratio; cujus vanitas hic oſtenditur perſtrictis ſimul cæteris peſſimi Libelli flagitiis: Artes ſimul & doli ac perfidia veritati inſidiantium ponuntur ob oculos.

QUot hic verba ſerit, tot pene fundit mendacia fabuloſus Narrator,quæ ſingula recenſere longum eſſet. Præcipua quæque delibabo Iam ab exordio fingit præcipuam inſtitutæ Collationis cauſam fuiſſe, ut in ea examinaretur doctrina ſuſpectorum Theologorum, eamque viſam eſſe unicam concordiæ ac pacis Eccleſiaſticæ(quæ mutuis diſſidiis longo jam tempore lacerabatur) ſtabiliendæ viam. Ad hoc inductum fuiſſe litteris P. Annati,& pene impulſum illuſtriſſimum Convenenſem ſcribit *Pag 16 & 17.* Hæc omnia falſi convincuntur ex accurata Narratione P.Ferrerii, & ab ipſo Convenenſi. & à reliquis Galliæ Epiſcopis ad cauſæ hujus diſcuſſionem à Rege delectis,per bimeſtre totum examinata atque approbata. Ex ea diſcimus occaſionem huic Collationi præbuiſſe Miramontium Præſidem Toloſanum, qui veritus, ne Janſeniſtarum contumacia in gravius Eccleſiæ & Reipublicæ detrimentum prorumperet, omni ratione eò inducendos credebat, ut Apoſtolicis decretis tandem ſeſe ſubmitterent. Contulit hic cum P. Ferrerio & Convenenſi Epiſcopo conſilia. Utrumque impulit, ut pacis negotio ſtrenuè ſe darent: viam nullam videri commodiorem,quam ſi amica quædam & pacifica inter paucos inſtitueretur Collatio. Scriptum à Ferrerio ad P.Annatum; is conſilium probavit. In hac

 col-

Collatione id unicè agendum ſibi ſumpſerat Ferrerius, ut Theologi iſti damnatæ in quinque propoſitionibus Janſenii doctrinæ (quod hactenus recuſaverant) Janſenii ſenſu accuratè expoſito, collatiſque ejus locis renuntiarent. Hic fuit totius Collationis ſcopus. *Parum enim intereſſe monebat Eccleſiæ Ferrerius* (c) *Thomiſtæne eſſent, an Jeſuitæ Theologi iſti in materia gratiæ; modò ne eſſent Janſeniſtæ; hoc eſt, Janſenii circa quinque propoſitiones doctrinam Catholicam eſſe, reclamantibus Pontificibus, non ſuſtinerent.*

Hac ſpe evocatus Illuſtriſſimus Convenenſis Pariſios, adlecto negotii totius ſocio P. Ferrerio: Hac ſpe à Rege penè invito, & ſiniſtrum quid ominante, conceſſa facultas exulibus Theologis Arnaldo, Taniero, Singlanio, & Abbati Sancyrano, Pariſios redeundi; adjecta tamen hac cautelâ (ut patet ex Litteris ad Convenenſem datis, & à P. Ferrerio editis) *ne quemquam inviſerent, neque inviſi ſe ab aliis paterentur.* Comparuere mox dicti Theologi apud Illuſtriſſimum Convenenſem. Ille pauca præfatus monuit ante omnia inſtituendam conſultationem de ſenſu Janſenii; & an is à damnatis propoſitionibus abluderet. Recepiſſe P. Ferrerium, exhibiturum ſe (præciſis ambagibus) clarum ac diſtinctum circa quinque Propoſitiones Janſenii ſenſum. Accepta à Theologis conditio eſt. Concinnavit mox dictus Pater ſcripta gemina, in quibus dilucidè ſenſum Janſenii expreſſit; quæ Lalanio ſtatim tradita ſunt cum reliquis Theologis communicanda. At illi collatis inter ſe capitibus, poſtquam ſcripta iſta ſtudioſè luſtraſſent, & Janſenii ſenſum dilucidè expreſſum vidiſſent, conditionis acceptæ immemores, aliam cœperunt canere cantilenam: verebantur enim ne, ſi agnoſcerent hunc eſſe Germanum Janſenii ſenſum, cogerentur aliquando eundem ejurare; quod certi erant facere nunquam.

Non poſſum hic præterire geminum palmare mendacium Narratoris hujus: Alterum quod *Delectum* ſcribat (d) P. Ferrerium *ad tuendas in collatione Societatis ſuæ partes:* Cum Jeſuitarum nullus fuerit hujus negotii conſcius, ſi P. Annatum exceperis; ut teſtatur non ſemel ipſe P. Ferrerius. Non agebatur hic res Jeſuitarum, ſed Eccleſiæ; nec cum Jeſuitis ſolis collidebantur hi Theologi, ſed cum Sorbona, cum Eccleſia Gallicana, cum Rege, cum Pontifice. Nec ſi res Jeſuitarum ibi acta eſſet, cauſam illi ſuam permiſiſſent unius hominis quamvis verſatiſſimi prudentiæ, concurrentibus tot Adverſariis tam ingenioſis, tam verſipellibus. Alterum, quod ſcribit ſciſcitatum fuiſſe Pariſiis à Ferrerio Convenenſem; *An non eos habiturus eſſet Catholicos circa quinque propoſitiones, qui demonſtrarent ſe in ea materia aliud nihil docere, quam quod in S Thomæ Schola communiter docetur: Catholicos ſanè futuros ultro confeſſum eſſe.* Qui potuit id ſciſcitari Pariſiis Epiſcopus, cum jam Toloſæ coram Præſide Miramontio & Malpetræo Conſiliario Toloſano demonſtraſſet Epiſcopo Ferrerius, nihil referre, ad Jeſuitaſne, an ad Thomiſtas Theologi illi accederent, quamdiu Catholicam eſſe Janſenii doctrinam mordicùs tuerentur. Hoc uno Catholicos eſſe non poſſe: Id unum agi, ut Janſenii dogmata præſcripta agnoſcant & ejurent;

(c) *Pag.* 1. (d) *Pag.* 18.

quem-

quemadmodum à nemine æquo rerum æſtimatore Catholicus haberi poteſt is, qui quamvis ſentiret Chriſtum re ipſa cum corpore & anima in Euchariſtia eſſe præſentem; contrarium tamen Calvini dogma non reputaret Hæreticum, cum velut tale proſcripſerit Eccleſia. Huc inducendos Theologos, & redditum iri plenam Eccleſiæ pacem, alio pacto non obtinendam. Qui potuit igitur hic Ferrerius Theologos iſtos ultro habere pro Catholicis, quamvis credidiſſet revera amplexos eſſe doctrinam Thomiſticam, quamdiu latæ in Janſenium ſententiæ ſubſcribere recuſabant? An non veretur Fabulator hic iſtud Poëtæ veteris.

Ψεύδων γὰρ ὅταν τὶς ἐμφανῶς ἐφευρεθῇ,
Σιγᾷν ἀνάγκη κᾂν καλὸν φέρει στόμα.
Nam mentiens cum quis palam prebenditur,
Taceat neceſſe eſt, quamvis facundiſſimus.

Illud eſſe veriſſimum fateor; poſtquam oblatam à Ferrerio concordiæ viam facilem, pronam, à nemine niſi contumace reſpuendam repudiari animadvertiſſet; multis inſtitiſſe apud Ferrerium illuſtriſſimum Gilbertum, ne colloquium abrumperet; ſed Theologorum illorum ſenſa diſpicere non recuſaret; peracto hoc velut examine de ſumma rerum commodiùs ac tranquilliùs acturus. Manus ægre dedit, quamquam nihil eorum, quæ poſtea ſubſecuta ſunt, ſuſpicaretur Ferrerius; & paſſus eſt indici colloquio diem. Et hic tamen Impoſtor noſter ſua fronte, id eſt perfricta, affirmat optaſſe Ferrerium de ſingulari ac recenter cuſa doctrina cum Theologis iſtis conferre. Accepit igitur ex Epiſcopi manibus Articulos Ferrerius, ac diligenter excuſſit. Dicta die 25 Januarii comparuerunt apud Illuſtriſſimum cum Ferrerio Lalanius & Girardus. Poſt mutuam ſalutationem: id primum à ſingulis exegit Epiſcopus, ut fide data religiosè promitterent (ſi fortè exitum ſiniſtrum haberet Collatio) non uſuros ſe iis quæ mox peragerentur aut deinceps, ad cauſæ ſuæ patrocinium. Aſſenſere ſinguli, & ſe non uſuros recepere. Stetit Promiſſis Ferrerius: Janſeniſtæ more ſuo illuſtre ediderunt perfidiæ ſuæ ſpecimen, publicatis ſtatim à finita Collatione pluribus libellis mendaciorum plenis; quorum illos convincit in ſua relatione Ferrerius; & convictos non ſemel agnovit Illuſtriſſimus Convenenſis, & ipſe de violata ſibi fide haud ſemel conqueſtus. Tum de Articulis inſtitutus ſermo: Sed priuſquam ordiretur Ferrerius, proteſtatus eſt non agere ſe Jeſuitarum nomine, cum ad Jeſuitas ſolos non ſpectaret, ſed ad Eccleſiam univerſam hæc controverſia, cujus Jeſuitæ arbitri nec eſſe velint nec poſſint: veniſſe ſe Epiſcopo de Eccleſiæ pace ſollicito, id à ſe petenti ſocium, Theologis ipſis haud renuentibus: Articulos aiebat prorſus ſibi viſos eſſe ancipites, geminumque pati ſenſum; ſanum alterum, alterum à Catholica veritate prorſus alienum: multa illuſtratione opus eſſe, ùt Catholici cenſeri queant. Id ut probaret, prælegere cœpit primum Articulum, in quo de gratiæ per ſe efficacis ad exercitia pietatis neceſſitate agitur.

 Hæc

Hæc videbantur (ut ſunt) ambigua; *Gratia efficax voluntatem indeclinabiliter & infallibiliter, citra tamen neceßitatem, vi divinæ motionis flectens, & determinans, ad ſingulos Chriſtianæ pietatis actus neceſſaria eſt.* Hujus enim gratiæ neceſſitas duplici pacto ſuſtineri poteſt: primò ita, ut ejuſmodi gratia neceſſaria ſit ad agendum reipſa; ſimul tamen admittatur altera quædam gratia verè & propriè ſufficiens, quæ donet propriam agendi potentiam ſeu facultatem. Secundò ſic, ut ejuſmodi gratia non ſolum neceſſaria cenſeatur ad ipſam actionem ponendam, verum etiam ad ipſum *poſſe*; ita ut in homine facultas non ſit citra illud ſpeciale auxilium rectè agendi. Primò ſenſu accepta propoſitio, verè Thomiſtica eſt; ſecundo ſenſu Janſeniana.

Ad hæc reſponſum à Theologis: credere ſe ejuſmodi gratiam tantùm eſſe neceſſariam ad agendum reipſa: alteram à ſe gratiam admitti actualem & internam, quæ ſit ſufficiens ſenſu Thomiſtico. Et in hac rurſus reſponſione latebat anguis in herba, qui non fefellit Ferrerium. Undè urgere non deſtitit, & pluribus inculcare, nihil agere hos Theologos, quandiu gratiam tantùm admittebant *Thomiſtarum ſenſu ſufficientem*, niſi & ipſi illam verè ac propriè ſufficientem ſuo ſenſu & crederent, & agnoſcerent, & id ipſum in Articulis disertè exprimerent: nec enim hic inquiri quid Thomiſtæ; ſed quid ipſi ſentiant. Noverat enim gratiam ſufficientem Thomiſticam non ſemel fuiſſe exploſam ut inſufficientem, in famoſis Epiſtolis ad Provincialem, à Janſeniſtarum Secretario Ludovico Montaltio (aliàs Domino Paſchal) conſcriptis. Hinc res in prolixiorem conteſtationem abiit; contendentibus Theologis, quamvis gratia per ſe efficax ſolum eſſet requiſita ad reipſa agendum; tamen dictu eſſe veriſſimum, & SS. litterarum ac Patrum ſermoni congruentius, ſine hac ipſa gratia nullum pietatis opus exerceri ab hominibus *poſſe*; idque ipſum Alvarezii nobilis Thomiſtæ teſtimonio comprobantibus. Quæ dum pluribus refellebat Ferrerius, Epiſcopus ſe interpoſuit, inutile eſſe monens ſimilibus diſputationibus tempus terere; unicè inſiſtendum quinque propoſitionibus à Sede Apoſtolica proſcriptis; in eo verti totius controverſiæ cardinem, an Articulorum Doctrina à damnatis dogmatis diſcreparet. Undè ſciſcitatus eſt à Theologis: utrum juſti, qui remiſſum tantùm ac debile in ſe ſervandæ divinæ legis deſiderium ſentiunt, & tamen ipſam legem non ſervant, illo ipſo deſiderio impulſi legem implere *reipſa poßint*, etiamſi fuerint auxilio gratiæ per ſe efficacis deſtituti. Reſponſum, quod ſic. Tum monuit Præſul ab hac reſponſione non abeundum, nec opus eſſe conteſtatione longiore. His dictis calamum arripuit Ferrerius, & ſequentes quinque propoſitiones deduxit, ut exploraret an conformes eſſent ſententiis horum Doctorum, & reſponſo quod mox dederant.

I.

Præcepta Dei hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, non ſunt impoßibilia, quando ea non ſervant; adeſt

enim

enim illis actualis atque interna Chriſti gratia, cum qua poſſunt abſolutè illa ſervare; licet deſit iiſdem gratia per ſe efficax, ſine qua illa nunquam obſervant.

II.

In ſtatu naturæ lapſæ datur actualis, atque interna Chriſti gratia, cui homines ſæpe reſiſtunt; & impediunt, quo minus habeat effectum, ad quem vires tribuit verè ſufficientes. Nunquam tamen reſiſtitur gratia per ſe efficaci, ſine qua bonum opus non fit.

III.

In ſtatu Naturæ lapſæ ad merendum & demerendum non ſufficit libertas à coactione; ſed requiritur libertas a neceſſitate.

IV.

Falſum eſt, atque hæreticum aſſerere, Semipelagianos in hoc erraſſe, quod dixerint actualem Dei gratiam ad ſingulos actus pietatis neceſſariam, talem eſſe, cui voluntas poſſit obtemperare, aut refragari. Omnis enim actualis Chriſti gratia tam efficax quam ſufficiens eſt hujuſmodi, ut huic poſſit homo diſſentire.

V.

Chriſtus pro omnibus omninò hominibus mortuus eſt; voluitque Salutem æternam reproborum voluntate antecedente; non autem abſoluta, & conſequente; deditque pluribus eorum auxilia gratiæ, cum quibus Salutem conſequi poterant; non tamen gratiam efficacem, ſine qua nemo Salutem conſequitur.

Mox propoſitiones Doctoribus exhibuit rogans, nam eaſdem approbarent, & doctrinæ ſuæ conformes crederent. Illi citra hæſitationem omnes & ſingulas approbarunt,& profeſſi ſunt eaſdem complecti vera & germana ſua ſenſa, circa quinque Propoſitiones: deſiderare ſe tamen ſuper iiſdem cum Amicis conferre, antequam decretorium promerent reſponſum. Atque ita illuſtrati fuere & correcti in primo congreſſu ancipites Articuli, adſtipulantibus Lalanio & Girardo, quibus erat à Fœderatis ad id poteſtas conceſſa. Hunc habuit exitum congreſſus hic. Poſtera dies in alterum congreſſum delecta, in quo ex conſenſu partium in Janſenii ſenſum inquireretur, allato prius Amicorum & ſuo de Ferrerii Propoſitionibus reſponſo.

Poſtridie dicta horâ comparuere Theologi cum P. Ferrerio apud Illuſtriſſimum. Illic nomine Fœderatorum omnium Girardus declaravit, Propoſitiones à P. Ferrerio pridie oblatas, ab omnium ſuarum partium Theologis & approbari & admitti: unum tantùm rogare, ut voculam (*Per ſe*) illic inſereret, ubi gratiæ dumtaxat efficacis meminerat; ita ut clarè exprimeretur *gratia per ſe efficax*. Jamque accingebat

ſe Ferrerius ad ipſum controverſiæ caput ; hoc eſt, ad ſenſus Janſeniani examen : cum Lalanius interrupit, unàque cum Girardo Ferrerium obteſtari cœpit, ut inchoatam Articulorum lectionem abſolveret ; unàque indicaret, ſi quid corrigendum aut reformandum occurreret. Cauſabatur Ferrerius id eſſe prorſus inutile, quandoquidem dictatas à ſe Propoſitiones amplexabantur. At illorum importunitate tandem victus ceſſit.

Cœpit igitur Articulos percurrere. Cumque eò ventum eſſet in primo Articulo, ubi declaratur; *Verè dici poſſe juſtos gratiâ per ſe efficaci deſtitutos, Dei mandata implere non poſſe* ; rotundè monuit hanc Articuli primi partem prorſus eſſe inducendam. Ipſos quippe jam non ſemel agnoviſſe, gratiam per ſe efficacem minimè eſſe neceſſariam ad ipſum *poſſe* implere, ſed ad re ipſa implenda Dei mandata ; id disertè expreſſum eſſe in quinque Propoſitionibus, quas & Ipſi & eorum Amici approbaverant ; ſine gratia nempe efficaci *poſſe* nos mandata Dei abſolutè ſervare, licet re ipſa ſine illa numquam ſervemus. Hic nova rurſus contentio : Ab hac loquendi formula abire ſe nolle ſignificabant Doctores; eſſe illam & Patribus & Conciliis uſitatam, nec ullâ aliâ gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem clariùs exprimi.

Tunc notavit primum Ferrerius ; quorſum adeo importunè urſiſſent Lectionem ſuorum Articulorum ; ut nempe una manu eriperent, quod alterâ jam conceſſerant, dum Ferrerianas Propoſitiones approbarant : Tunc vidit hanc illos captaſſe occaſionem, ut tectè quodammodò & velut honeſtè retractarant id, in quo pridiè fuerant paulò liberaliores. Multa rurſus habita de mente Thomiſtarum verba, deque ratione, qua Didacus Alvarez neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis adſtruebat ; Jamque effervеſcebat Diſputatio ; cum Convenenſis Epiſcopus ſe interpoſuit, ad Doctores hos converſus : Si velitis, inquiens, feriò Thomiſtarum de gratia per ſe efficaci Sententiam amplecti; loquimini pariter cum Thomiſtis, & apertè dicite; Sine gratia per ſe efficaci opus bonum fieri nunquam ; in noſtra tamen eſſe poteſtate rectè agere ope gratiæ ſufficientis. Quod ſi quandoque in Scriptis veſtris publicaſtis, nihil hominem boni agere poſſe ſine gratia per ſe efficaci ; id publicè profitemini, hoc vobis ſolum ſenſu dictum, quod opus bonum ſine gratia per ſe efficaci nunquam exerceatur. Quod Convenenſis non dixit dumtaxat, ſed & ſua manu exaravit, ut rationem hanc Arnaldo ſuggereret (quemadmodum finita Collatione P. Ferrerio expoſuit) qua citra dedecus aut probrum excuſaret id, quod in Epiſtola ſua ſuſtinuerat ; gratiam nempe, ſine qua nihil poſſumus, aliquando deeſſe juſtis, quando præſcriptam ſibi à Deo legem violant. Unde gravis in Arnaldum concitata erat tempeſtas.

Hæc poſtquam pluribus retulit Ferrerius, in hunc modum concludit Relationis ſuæ pag 25. *Inſignis ergo eſt falſitas, quam nuperi ſcriptis ſuper habitis conferentiis Auctor auſus eſt proferre in medium, cum ait id oblatum fuiſſe ab Illuſtriſſimo Convenenſi conſilium,*

quo

quo difficultas omnis expediretur, ut intactis Articulis calci ſubjiceretur quadam declaratio; qua profiterentur ſeſe, cum dixerant nos ſine gratia per ſe efficaci non poſſe agere, nihil voluiſſe aliud, quam eum, cui deeſt gratia illa per ſe efficax, non habere omnia, qua requiruntur ad actu agendum. Etenim certum eſt (pergit Ferrerius) *numquam ulla ratione ſignificaſſe Antiſtitem, eam ſibi mentem eſſe, ut integer & intactus relinqueretur Articulus; neque dixiſſe umquam, ut jam memorata ab hoc Scriptore declaratio calci adiiceretur. Quod me autem ſpectat, id poſſum affirmare, non ſolum non approbaſſe me conſilium tam parum aquum, & tam malè excogitatum, ut ne approbare quidem potuerim; cum in ſolo Ianſeniſtarum cerebro natum ſit.*

Hanc inſignem falſitatem, velut certiſſimam veritatem adoptat Narrator meus. *Hac clauſula* (inquit *pag. 6. in margine*) *ad majorem harum vocum* (*ſine gratia per ſe efficaci non poſſumus agere*) *explicationem communi partium conſenſu coram illuſtriſſimo Convenarum Epiſcopo adjecta fuit.* Et *Pag.* 20. pergit eodem ore: *Porro veritus Il'uſt. Praſul, ne hujus altercationis occaſione Collationi abrumpenda locus daretur, ea ratione componendam illam propoſuit; ut* (*illa Articuli parte intacta*) *ad ejus calcem ea, explicationis gratiâ, clauſula adiiceretur, qua illic modò legitur his verbis; Quare cum dicimus &c. Quod utrique Parti ita placuit, ut nullam deinceps adverſus Articulos litem moverit P. Ferrerius toto Collationis tempore, qua ad nonum uſque menſem producta eſt.* Et hæc certa eſſe ait actorum fide. Hic homo acta nulla vidit, niſi Janſeniana. Illis ſolis fidem arrogat, ac ſi Ianſeniſtæ nullius umquam fuiſſent mendacii convicti; cum tamen in Gallia Ianſeniana Veracitas ut Cretenſium olim in Proverbium abierit.

Hæc inſignis falſitas adhuc magis eluceſcit ex Epiſtola, quam Illuſtriſſimus Convenenſis cum Articulis Romam tranſmiſit, in qua Pontifici Theologorum horum nomine declarat. præſto eos eſſe, non ſolum ſequi Thomiſtarum recentium de auxiliis doctrinam, ſed & modum loquendi & exponendi Thomiſticum. Quod quî facere potuiſſet, ſi ſola clauſulâ adjecta fuiſſet contentus? Illud interim haud inficior, in ipſis Articulis nihil magnopere improbaſſe Ferrerium, modò ad hæc duo principia (de quibus inter partes jam haud ſemel convenerat) revocarentur, atque illis fideliter poſthac ſtaretur.

Primum erat, à gratia per ſe efficaci non proficiſci unicè potentiam ſeu facultatem rectè agendi; hanc non neceſſariò exigi, ut homo *poſſit* pietatis actum exercere; ſed dumtaxat ut re ipſa exerceat. Alterum, dari gratiam verè & proximè ſufficientem, non Thomiſtico dumtaxat ſenſu (ut Articuli inſinuabant) quæ à gratia per ſe efficaci differat, & potentiam nobis agendi veram largiatur; verum etiam ſenſu horum Theologorum, ita ut vi hujus auxilii in noſtra *poteſtate ſit* mandata Dei abſolutè ſervare: idque ipſi non ſecus quam Thomiſtæ publicè profiterentur. His admiſſis lis ampliùs de Articulis nulla mota toto Collationis tempore; ſed de ſumma rei, hoc eſt de Janſenii ſenſu actum eſt. Unde hac ipſa die in hoc ipſo congreſſu Lalanio & Girardo quinque Propoſitiones in manus conſignavit Ferrerius, Janſenii

doctri-

doctrinam & ſenſum continentes, qualem à Pontificibus proſcriptum eſſe evidentibus argumentis evicturum ſe ſpopondit; modo hunc Ianſenii ſenſum eſſe (quod demonſtrare paratus erat) agnoſcerent. Cæterum cum ad Articulorum hiſtoriam iſta non pertineant, iis recenſendis ſuperſedeo. Videre apud Ferrerium poteſt curioſus Lector, & ſimul artes ac verſipelle ingenium horum Theologorum agnoſcere.

Ex iis, quæ memoravimus hactenus, liquet; quam verè de Narratione ſua tot figmentis plena pronuntiet Articulorum famoſorum Vindex *Pag.* 28. *Hæc eſt vera & ſincera Articulorum iſtorum hiſtoria, fideliter expreſſa è prolixioribus hujus negotii commentariis Gallicè ſcriptis, ſtatimque poſt peractam Collationem vulgatis, cum adhuc omnium aures calerent tertis rerum actarum narrationibus.* Fateor: Commentaria iſta Gallica ſtatim à Janſeniſtis poſt peractam Collationem vulgata ſunt; ſed contra datam Epiſcopo Convenenſi fidem, ut ſupra monebamus, & incerto Auctore. Calebant adhuc omnium aures fictis rerum actarum narrationibus, cum ſoli Janſeniſtæ loquerentur; Ferrerius promiſſum Epiſcopo ſilentium religioſè ſervaret: donec tandem aliis atque aliis Libellis provocatus ſparſos temerè rumores, & creditam nonnullis Fabulam refutare compulſus eſt. Quod adeò fecit exactè, ut in omnibus Adſtipulatorem habuerit illuſtriſſimum Convenenſem, unicum totius negotii teſtem, ipſumque Cardinalem Eſtræum, atque Harduinum de Perefixe Archiepiſcopum Pariſinum, qui congreſſui ultimo interfuerant. Cætera omnia quæ jactantur, ſolius Lalanii ac Girardi fide jactantur, quamquam ne ipſi quidem ejuſmodi libellis nomen ſuum dare voluerunt; ne tot mendaciorum (in quibus Illuſtriſſimi Convenenſis teſtimonio convinci facilè potuiſſent) & haberentur, & nominarentur Auctores. Interdum amicorum perfidiam querebantur, qui res arcanas invitis ſe, vel eas etiam, quarum non erant conſcii, vulgarent. Ex hujuſmodi Commentariis facilè Hiſtoriam ſcribere poſſet, quiſquis otio abundat & fabulandi libidine, in qua victi ſemper Ieſuitæ, fuſi, fugati legerentur: victor Ianſenius; & non de Ieſuitis ſolum, ſed de Sorbona, de Epiſcopis Galliæ, de Rege Triumphans (illuſis Adverſariorum ſuorum fraude Pontificibus) inſultaret. Ejuſmodi hiſtoriam non multo labore concinnaret Paulus Irenæus: ſed veretur fortè, ut Lectores inveniat uſque adeò credulos, qui pompoſæ narrationi habeant fidem.

Supereſt ut reliqua Libelli noſtri flagitia perſequar. *Pag.* 13. miſerabiliter queritur de potentia Adverſariorum, *qui Auguſtinianorum fidem calumniis ſuis impetere, & illos ubique ut Apoſtolicarum Conſtitutionum violatores diffamare pergunt:* utor ejus verbis. *Teſtes ſunt*, inquit, *non gregalium ſolummodò ſcriptorum Libri, ſed nonnullorum etiam primæ notæ Theologorum, quibus adverſa Scholæ Theſes & libelli impoſuerunt.* Cur illos primæ notæ Theologos, ô bone! non nominas? Certè noſſe juvat præclaros illos veritatis Patronos: καὶ ὄνομα πολλάκι' τέρπει. Cur illo nos gaudio fraudas? Simul an aliquam veri ſpeciem habeat quod ſcribis, intelligemus. Quis credat eos eſſe primæ notæ

Theo-

Theologos,qui adeò facilè ſibi patiuntur imponi?Qui eorum,quos oppugnant dogmata non ſuis,ſed alienis oculis legunt? Certè ne gregales quidem Theologi adeò ſunt incurii. *Neque verò*, inquis, *ipſorum negligentiæ iſtud imputandum, ſed diſtantia locorum, adverſariorumque induſtria ac potentia: Hi enim per univerſas Eccleſiæ Provincias diſperſi, mutuo tamen litterarum librorumque commercio inter ſe colligantur, ubique indefeſſi fabuloſæ illius Hæreſios Buccinatores, ubique aſſidui Collegarum ſuorum Adjutores, ut eorum ſcriptiunculas omnibus opportunè importunè ingerant, preſſis ſilentio reſponſis, quibus illæ omnibus modis obtrita ſunt.* Apud Sinas arbitror aut Americanos ſua illa volumina elucubrarunt iſti primæ notæ Theologi, quo Ianſeniſtarum ſcripta nondum fortè pervenere. Nam Europa tota volitare; Galliæ, Belgis, Angliæ, Germaniæ, Italiæ eſſe cognitiſſima,quis ignorat? Per Hiſpaniam diſtrahuntur cautiùs, metu Quæſitorum. Illic etiam Arnaldi nomen & libros horum Auguſtinianorum Principis eſſe celebres, ne quidem ipſe inficiabitur. Obſtiterit igitur potius adverſariorum induſtria ac potentia. Huic œſſerint hi primæ notæ Theologi. At mihi nullius notæ Theologi ſunt, qui aliis armis, quam veritati cedunt; qui, quæ neſciunt, oppugnant; qui potentiæ aliquid aut favori tribuunt. At hæc eſt infelix conditio eorum qui Janſenium oppugnant, aut ejus Patronos, ut ſemper aliquid humani patiantur. Cæterum quod hic ait, ſcriptiunculas *omnibus opportunè, importunè ingeri, preſſis ſilentio reſponſis, quibus illæ omnibus modis obtrita ſunt.* nullis eſt quam Ianſeniſtis familiarius. In Belgio hodie libelli ipſis quotidie naſcuntur ut fungi, vel Patrio vel gallico ſermone, cujus majus eſt illicium, in quibus ſæpe vix aliud novi reperias, quam inſcriptionem, aut ordinem materiæ: in his argumenta oſtentantur ut invicta, quæ naſcente Ianſeniſmo centies protrita ſunt; quæ Petavius, quæ Stephanus Dechamps, quæ Annatus ita eliſerunt, ut piſcibus mutiores hæſerint Ianſeniſtæ. Hujus artificii meus Adverſarius ſibi præclarè conſcius veritatis amatoribus objicit, quod proprium eſt malæ cauſæ defenſoribus. Utinam interim tanto inter ſe litterarum ac Librorum commercio eſſent conjuncti Anti-Ianſeniſtæ, quantum jactat! Utinam aliquis illius concordiæ ad nos fructus inde derivaretur!

Quid agam enim (flebiliter exclamat *Pag. 3.*) *S. Auguſtini diſcipuli, privati ſcilicet homines, ſuis affixi ſedibus, & maniis, curta plerumque inſtructi ſuppellectile, omnibuſque aliis ſubſidiis litterario commercio neceſſariis deſtituti, niſi ut ſuam quiſque doctrinam ibi propugnet, ubi oppugnatur ut plurimum, vel intra Scholarum ſuarum anguſtias, vel materno idiomate, quo uti coguntur ad repellendas calumnias, quibus ſuam fidem famamque nunc apud Principes, nunc apud illiteratam plebem proſcindi quotidie audiunt?* & Has querimonias legens aliquis vel audiens, adhuc nulla tangitur commiſeratione? ô ferreum pectus! Hujus crocodili lacrymis nemo movetur? Ego ſanè non tangor. Credideram vaſis collectis Ianſeniſtas omnes in Thomiſtarum caſtra eſſe tranſgreſſos: atque adeò agmen jam conſtituere formidabile: credideram multas in Belgio religioſas familias

 horum

horum Auguſtinianorum ſenſa & articulos eſſe amplexas. Hoc multis & Libellis & Theſibus jactantes ſæpe vidimus. Nunc repentè *privati homine facti ſunt, ſuis affixi ſedibus & muniis, curta inſtructi ſuppellectile, aliiſque ſubſidiis litterario commercio neceſſariis deſtituti* An fortè Pſeudo-diſcipulos ſua tandem ſcholâ expulere Thomiſtæ? An pallium detraxere, ſub cujus umbra errorem tutiùs ſovent? An religioſæ illæ familiæ vel non inivere cum Pſeudo-Auguſtinianis fœdus vel initum agnita jam fraude reſipiſcentes reſciderunt? Aliàs qui queri poſſint ſe privatos eſſe homines &c. Auguſtini diſcipuli, haud intelligo. An non ſunt religioſæ illæ familiæ per Eccleſiæ Provincias æque diſperſæ, atque illæ, quas tacito hic nomine deſignat? An non mutuo quoque litterarum, librorumque commercio inter ſe colligantur? Suntne uſque adeo cauſæ ſuæ immemores Auguſtiniani iſti per Gallias atque Belgium ſparſi, ut nullæ inter eos commeent litteræ? Mutuas lucubratiunculas vel non recipiant, vel tenebris damnent? Quorſum igitur hæ querelæ? Quæ in Belgio civitas, quod oppidum, ubi ſuos Fautores mala cauſa non habeat? Quod Collegium de Clero Sacerdotum, ubi non aliqui ſunt, qui ſe ex Auguſtini Diſcipulis jactent; qui manum ſodalibus præbeant; qui tenebris damnanda opuſcula ſumma curâ per domos ac familias dividant? Quam ſtrenuè rem ſuam in Hollandia promoveant, quanto ſtudio, quanta concordiâ; quanto cum ſtomacho Religioſorum hominum, quos obſtare ſibi in miſſionibus vident, famam ac nomen lacerent, doctrinam mutilent, diſtorqueant, adulterent, teſtes ſunt famoſi libelli, & atroces Epiſtolæ, quas quot diebus ſerunt in vulgus, non ſine Calviniſtarum in hac Papiſtica, ut aiunt, digladiatione, riſu ac lætitia, quum mutuis eos vident, ut Cadmæos fratres, telis concidere. Quis adeò peregrinus in Belgio, qui non ſciat aut intelligat eò perveniſſe potentiæ, tantas ſibi vires acquiſiviſſe ſub Auguſtini nomine Fœderatos, ut velut gigas ille in fabulis, centum manibus pugnent, ac quinquaginta oribus venenum exhalent. Una non ignobilis Lovanii domus plures quotannis pugiles præbet, quam Equus trojanus fuderit armatos: Minoris notæ ruſticanam, majoris urbanam aggrediuntur turbam, certi nihil relinquere intentatum, & Magiſtri ſui placita gnaviter inculcare, ac tueri fideliter, obicem omnem perrumpere, donec ea obtineant, atque iis ſe populus conformet. Sed quid his tamdiu immoror, quæ Senatus intelligit, & conſul videt; totque teſtari poſſunt, quot ſunt in Belgio homines nec oculorum uſu nec aurium deſtituti. Hic verò nobis præclaram cauſam reddit inſignis cauſidicus, cur Auguſtiniani materno malint idiomate depræliari, & arcana vulgi auribus non committenda proſtituere. *Eo, ſcilicet, uti coguntur ad repellendas calumnias, quibus ſuam fidem famamque nunc apud Principes, nunc apud illiteratam plebem proſcindi quotidie audiunt.* Hæc nempe cauſa impulit, ut factionis Principes Novum Teſtamentum (quo nihil Chriſtianis carius aut venerabilius) in Gallicum ſermonem verterent, locis pluribus adulterarent, Ianſenii virus inſpergerent, adeò ut jam non

ſit Jeſu Chriſti, ſed Janſenii Teſtamentum: ut pontificia auctoritate proſcriptum rurſus recuderent, ut tot Apologiis Janſeniano veneno turgentibus tuerentur: adeò ut Eruditiſſimus novi teſtamenti Criticus Richardus Simon Teſtamentum hoc Hiſtoriæ ſuæ Cap. xxxv eadem prorſus methodo elaboratum cenſeat, qua teſtamentum Lutheri; iiſdem quibus illud defectibus obnoxium; iiſdem penè rationibus & argumentis defenſum; adeò ut juxta hunc Criticum utriuſque verſionis Auctores ſimilibus videantur præoccupati fuiſſe ideis. Hæc cauſa impulit, ut tot Patres juberent Gallicè loqui, & illa linguâ erroribus patrocinari, à quibus toti abhorrebant. Ita ſcilicet calumniæ purgantur apud Principes, apud illiteratam plebem, quæ altiſſimorum myſteriorum, & doctrinæ (cui capiendæ par non eſt) judex adſciſcitur. Ita fides & fama collocantur in tuto. Si, quod res eſt, edicere voluiſſet, nec circuitione vel fucis uti; ſic pronuntiaſſet. Ita populus Janſenii dogmata, quæ perhorreſcit, vel neſciens imbibit. Ita nequidquam fulminantibus Pontificibus victus Janſenius triumphat: ita venenatum poculum melle linitur, quo improvidæ mentes ludificantur: Ita Lutherus, ita Calvinus meretricia eloquentiâ in multorum animis veritatis ſemina oppreſſit: iiſdem pugnamus armis, majori tamen ſpe victoriæ, quamdiu Catholicum nomen præ nobis ferimus.

Pag. 14 novam orditur fabulam. *Contigit autem ut quidam Theologus in paucis eruditus, doctrinaque Auguſtiniana aequus aſtimator* (uno verbo Janſeniſta) *virum Illuſtriſſimum officii causâ inviſeret, offerretque*, ore ad gravitatem compoſito, & neſcio quam ſanctimoniam ſpirante vultu, & totius corporis affectata modeſtiâ (qua facillimè capiuntur ignari fraudum) munuſculum commendante, *quoddam ejus argumenti opuſculum, quod dum ille benignè acceptum ſtatim, ut fit*, dum quis neſcit accipere ſe Danaûm dona, *avidè volvit, revolvitque; incidit in Auguſtinianos Articulos Opuſculo inſertos. Sciſcitatur, ecquid rei iſtud ſit* (ab ultimis Sinarum aut Americæ, ut reor, finibus appulerat in Belgium, rerum ignarus omnium & priſcæ ſimplicitatis ac fidei homo) *Paucis narrat Theologus* (Janſenianarum artium haud imperitus, multarum jam palmarum pugil, in comœdia Roſcius) *& qua occaſione conditi, & quid doctrina contineant, Auguſtinianorum videlicet expoſitionem circa quinque propoſitiones* (quas? ex Janſenio excerptas, & in ejus ſenſu proſcriptas? altum de Janſenio, ejuſque ſenſu ſilentium) *ex SS. Auguſtini & Thomæ placitis fideliter* (juxta regulas fidei Janſenianæ) *expreſſam, occaſione cujuſdam Collationis inter RR. Patres Societatis Ieſu* (opus erat hic ſplendido mendacio, aliàs non proceſſiſſet æquo pede fabula: cum Collatio habita ſit inter Epiſcopum, qui ſocium aſſumpſerat unum è Societate) *& diſſidentes ab illis* (opus erat hic altero mendacio & ſplendido magis & opportuno) & diſſidentes à Sorbona, ab Eccleſia Gallicana, à Romanis pontificibus, ab orbe Catholico univerſo *Theologos, quæ pacis inter utroſque* (& hæc eſt ſecundi mendacii continuatio) inter illos atque Eccleſiam univerſam, cujus judicio ſtare mordicùs recuſabant,

componendæ gratia ante viginti & quinque annos habita fuerat. Ad nova inardeſcit vir clariſſimus, neque enim illi quidquam (utpote ab extremis terrarum finibus huc allapſo) vel de Janſenio ejuſque dogmatis in Auctoris ſenſu proſcriptis, *vel de Collatione, vel de Articulis auditum. Tum his decurſis ipſe ad Theologum; ſi ita ſentiunt Auguſtiniani veſtri, prorſus Catholicè ſentiunt. Nihil enim hic deprehendo, quod non vulgò doceant, qui doctrinam de gratia ſe ipſa efficaci tuentur, atque adeò quod in omnibus Doctoris Angelici Scholis non tradatur.* Corticem verborum tantùm vir minimè malus tractaverat, nucleum ſcrutari nec ſubita lectio, nec fraudis minimè ſuſpicax animus permiſerat. *Genuina vero eſſe hæc Auguſtinianorum ſenſa* (abdito tamen atque arcano ſenſu, ſolis initiatis obvio) *ſanctè affirmavit,* tacitæ reſervationis (quam reſtrictionem nominant) niſi cum uſus eſt, olor *Theologus. Lætitiâ porrò non mediocri affici viſus eſt vir illuſtris, ea ſcilicet, quam ſinceri veritatis amatores nunquam non ſentiunt, cum quos inter illius adverſarios numerabant, ejuſdem fideles eſſe ſectatores* (perfidi & perjuri Sinonis immemores) *inſperatò audiunt. Utcumque tamen illorum negligentiam* (quæ nulla erat, ſed eſſe credebatur haud mediocris) *incuſavit, quod hunc velut invictum clypeum* (quavis tamen glacie vel vitro fragiliorem) *æmulorum obtrectationibus* (quæ juſtiſſimæ ſunt accuſationes) *ubique terrarum non objicerent. Etſi enim hæc in Gallia* (nullo fructu aut operæ pretio) *vulgata, imò ad publicam Sedis Apoſtolicæ lucem* (accepta favorabili ſententiâ, qua Articulorum Auctores, niſi Janſenii dogmatis citra exceptionem in auctoris ſenſu damnatis valedicerent ac publicè renuntiarent, Regiæ auctoritati publica vi compellendi tradebantur) *aliquando deducta, nihil tamen iſtorum Italis Theologis, nihil Hiſpanis, nihil Germanis* (rerum ignaris omnium, quæ geruntur in Gallia) *umquam innotuiſſe. Cæterum, nulla faciliùs citiùſque ratione* (licet hactenus non ſucceſſerit) *occludi poſſe obloquentium ora, aut invidorum criminationes dilui, quam ſi ſuos illos Auguſtini Diſcipuli Articulos novis typis* (quia veteres toties impreſſi jam attriverant) *excuſos rurſus in publicum proferrent, omnium Theologorum oculis* (etiam faſtidientium ad nauſeam) *ſubjicerent. Per omnes Catholicas* (ad quas fortè necdum pervenere) *diſſeminarent Eccleſias. Id demum agerent, ut ne quis ignoret* (jam pridem ignoravere pauciſſimi controverſiarum tyrones) *Ex his unicè Articulis omnem ſuam de quinque damnatis capitibus, doctrinam cenſeri velle atque perpendi.* Ex his inquam unicè Articulis, in quibus nulla Janſenii mentio, nulla ſenſus, in quo damnata ſunt capita, in quo virus omne latet Hæreſios.

Si mihi luberet non fabulas inducere, ſed veriſſimos referre multorum hominum Sermones, qui ætatem triverunt in litteris & harum controverſiarum ſtudio: non aliis tamẽ quam veritatis partibus addicti; darem, qui ubi primùm incidere in hos Articulos, totum in illis Janſenii virus ſub Thomiſtica phraſi callidè regi non ſemel corã me pronuntiarunt. Quod plus eſt, hac ipſa die qua hæc ſcribo, vir quidam è Clero ſæculari in hiſce ſtudiis canus, judicii perquam perſpicacis, cum eum negotiâ

caus

cauſâ adirem, meque occupatum dicerem refutando libello Articulorum illorum præcone: rem mihi ſtatim præclaram agis, inquit, & utilem præſtas Eccleſiæ operam: jam pridem Libellum iſtum refutatum videre geſtii: totus namque & in Articulis & in Libello deliteſcit Janſeniſmus. Hoc mihi dictum & à laudato Viro, ſanctè poſſum affirmare. Quid tamen hoc ad tres capellas?

Pag. 16 ſic pergit: *Obſecuti ergo ſumus non ſolis ſapientiſſimi viri conſiliis, ſed & neceſſitati propriæ famæ à malevolorum obtrectationibus vindicandæ, & urgentis charitatis debito, quo quiſque (cum commodè poteſt) omnem vel ſcandali vel ſiniſtræ ſuſpicionis occaſionem (etiam temerè arreptam) à Fratrum ſuorum mentibus depellere tenetur; ac juſto denique deſiderio exteros quoque Epiſcopos, Theologos, Fideles ſic de germanis noſtris ea in materia ſenſibus certiores faciendi, ut aliorum deinceps artibus deludi nequaquam poſſint.*

Multum profectò gaudeo, Hos Theologos & bonorum virorum parere Conſiliis, & tanto famæ ſuæ tuendæ ſtudio duci, & non mediocribus caritatis ſtimulis impelli, ut omnem vel ſcandali, vel ſuſpicionis occaſionem (etiam temerè arreptam) arcere seriò velint. At quantùm gaudeo, tantùm doleo in Conſiliarium eos incidiſſe adeò miſerabilem & rerum imperitum, in cæcum adeò viæ ducem, qui germanam rationem (quâ famæ ſuæ nullo negotio conſulere poſſint) ignoraverit, & ſcandalum omne & non temerè arreptam ſuſpicionem commodiſſimè arcere. Nullis opus Articulis, nullis certaminibus opus: via prona eſt & facilis, ſeriò pro exiſtimatione ſua ſollicitis, & recti exempli ſtudioſis. Hanc nuper ingreſſus celebris Lovanii Doctor; & Regis Catholici & Romani Pontificis favorem expertus eſt (non eſt cur Auctorem exempli adeò boni nominare detrectem) Martinus Steyartius. Janſenii ille doctrinam in ipſius Janſenii ſenſu proſcriptam agnovit, & ex eo nullus illum tempore Janſeniſmi arguit, nullus ſuſpectum habuit: boni omnes virum ſuſpexere. Hæc eſt unica ratio, qua læſa fama ſarciri poteſt ab hominibus, ob ſcripta quædam ancipitia non immeritò ſuſpectis. Viæ cæteræ lubricæ ſunt, atque fallaces, neque per illas iter eſt ad ſolidum decus. Sic offenſa tollitur, ſic ſiniſtra ſuſpicio animis multorum inſita evellitur. Hac eundum, ſi Viri eſtis (ô Theologi) ſi ſeria vos tenet exiſtimationis veſtræ cura, ſi proximi amor, cui rectis moribus & exemplis prælucere veſtrum eſt. Neque vos deterreat malè feriatus quidam Palladius, publicus Auguſtini Leerdamenſis diſcipulus, qui velut aſper crabro imparibus armis bonos quoſque laceſſens in nullos magis ſævit, quam in ſe & in ſuos. Quot ille defigit morſus, tot honeſta infligit vulnera, quæ poſſitis ut totidem ſanæ veſtræ fidei teſtimonia oſtentare. Audete tandem, & metum ac pudorem bonis conſiliis inimicum ponite. Tot erunt Patroni veſtri, quot modò experimini inimicos. Sui ſunt & illis apibus, quibus fucos aut crabrones ab alveari arceant, aculei. Nec ſuus illis ſtylus, neque eloquentia deeſt, qua maledicum os (ſi quod inſurgat) ad ſilentium compellant. Quidquid moliti eſtis hactenus, haud ſucceſſit.

K Veritas

Veritas ſtat ſemper invicta. Quidquid moliemini (Augurium ratio eſt & conjectura futuri) eundem ſortietur exitum. Bonæ cauſæ Patroni ſæculis omnibus triumphabunt. Quod ut omnibus perſuadeam, agam vobiſcum paulò liberaliùs.

Articulos veſtros Romæ ab Alexandro VII. approbatos (quod nullis à me argumentis extorquere potuiſtis, aut poſt hac poteritis) ultro tantiſper largior; ſenſu ſcilicet Thomiſtico, qualem primo aſpectu verba præ ſe ferunt. Amplius aliquid à me exigere vos ipſi (niſi ſenſum in vobis communem affectus perturbaverit, aut prorſus extinxerit) improbum judicabitis. Quod plus eſt, habeo aut habere me fingo vos pro Germanis in hac materia Thomiſtis; quandoquidem Thomiſtæ videri vultis. Nolite tamen triumphum canere. Nondum obtinuiſtis cauſam. Nolite exiſtimare, veſtri vos jam Adverſarii judicio abſolutos. Solvendus ſupereſt difficillimus totius controverſiæ nodus. Illum tamen ſolvere, & os obſtruere accuſatoribus veſtris, in veſtra manu eſt. Articulos famoſos (ut dicitis) Alexander approbavit; & tamen poſtquam approbavit, plus aliquid à vobis exegit. Congregati Pariſiis Epiſcopi inſpecto & maturè perpenſo Pontificis reſponſo, Articulos eoſdem tacitè (ſi vobis fides) habuere pro approbatis; adhuc tamen de ſubdola ac perfida veſtra mente apud Pontificem queſti ſunt. Ipſe Pontifex pollicitationibus veſtris captus (ex quibus tantum hauſerat lætitiæ) majorem rurſus dolorem percepit; ex quo didicit veſtris vos non ſtare promiſſis.

Nondum habet vos pro ſinceris ac genuinis Eccleſiæ filiis communis Pater, ſed pro Spuriis ac Adulterinis. Nec injuriâ: non enim reor vos pro Catholico habituros eum, qui Chriſtum tueatur in Euchariſtia re ipſa corpore & anima eſſe præſentem, Calvini tamen metaphoricam præſentiam proſcribere nolit velut hæreticam. Ita Articulos veſtros, Romæ approbatos eſſe ut gratis dedimus, nequaquam ſufficit. Sanam quidem doctrinam jam tuemini; ſed Janſenii doctrinam proſcriptam ut hæreticam, ut impiam, nondum habetis pro Hæretica, pro impia. Huc enitendum eſt. Cur non ſolvitis nodum? Non petitur res ardua, vel iniqua. Tribus tantùm opus eſt verbis, aut ſi mavultis, uno. *Coram S. P. N. Alexandro VIII. Pontifice maximo, ſupremo Chriſti in Terris Vicario, & Apoſtolica ſede, coram omnibus Catholici orbis Epiſcopis, cunctis Principibus, & Magiſtratibus Chriſtianis, omnibus omnium Eccleſiarum, Religioſorum ordinum & Academiarum Theologis, & univerſa fidelium Eccleſia; palam & publicè profitemini, proclamatis, atque conteſtamini, quoſcumque in famoſis Propoſitionibus errores Conſtitutionibus ſuis damnarunt Innocentius X. & Alexander VII. Vos ex animo & ſemper damnaſſe, & uſque damnaturos eſſe, quocumque tandem in libro à quocumque Scriptore aſſerti reperiantur, atque defenſi; quæ fidei capita per eaſdem Conſtitutiones ſancita manere illi decreverint, ea vos pro Sancitis & ſemper habuiſſe & uſque habere.* Cur non addidiſtis tria verba, quæ addi Alexander VII. voluit: quæ Catholici omnes adjungenda judicant? Etiam *Janſenio, inque ejus ſenſu.* Recudite veſtram formulam, & ſi minùs

verè

verè dicere poteſtis, vos *in Ianſenii ſenſu* Propoſitiones quinque ſemper damnaſſe; dicite damnare vos & deinceps ſincerè & ex animo damnaturos. Sic compeſcentur qui de factione veſtra per exteras nationes ſati ſunt non ſine cauſa rumores: Sic ultrò ſilebunt Adverſarii veſtri, quoſque ut alienos duriter increpant hactenus, amplectentur ut fratres: Imo non ſilebunt, ſed in laudes veſtras ac præconia ora facunda ſolvent. Quid tergiverſamini? Quid nectitis moras, meque tam amicè monentem audire refugitis? Nihil novi poſtulat Alexander: Idem jam à ſæculis ab hominibus ſuſpectis exegit Leo Magnus: *Damnent*, inquiens Epl: 84. *apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris Auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur; omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem Hæreſios Apoſtolicæ ſedis confirmavit Auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur.* Nihil agitis, niſi hæreticarum Propoſitionum Auctori Janſenio ex animo renuntietis. Agite, quid vos retardat? Thomiſtæ eſtis: nullus ex Germanis Thomiſtis illi ſic renuntiare detrectat. Hic eſt aſſignatus ab Alexandro VII. Lydius lapis: Ad hunc explorandi eſtis. Id ni præſtiteritis, etiamſi omnes amplecterimini Jeſuitarum de Gratia ſententias, habebo vos (ne quid gravius dicam) pro ſuſpectis.

Nolite recurrere ad obſoletam illam de quæſtione facti cavillationem. Majus hic aliquid agitari, niſi vobiſcum apertè pugnare velitis, agnoſcendum eſt. Neque ad offucias ex ſenſu multiplici propoſitionũ petitas effugium eſt; nam & hæ vobis proſunt nihil. Id evincã Breviter. Magni Auguſtini (cujus vos diſcipulos glorioſè dicitis) in materia de Gratia & libero Arbitrio doctrinam Romani Pontifices ſuis Conſtitutionibus conſecravere. Ego Conſtitutiones illas parum moratus, non ſemel in hac materia à vero aberraſſe Auguſtinũ pugnaciter tueor, & veſtra utor exceptione. Quæſtio facti eſt, an Liber aliquis erroneas Propoſitiones contineat, Pontifices in hac falli poſſint: Suntqe reipſa falſi. Pontifices nullum aſſignarunt certum ſenſum plurimarum S. Auguſtini Propoſitionum, cum Propoſitiones ſenſus varios patiantur. In proprio Auguſtini ſenſu hæc, atque illa propoſitio erronea eſt; idque paratus ſum argumentis demonſtrare evidentibus. Mea me conſcientia convincit de quibuſdam repertis in Auguſtini libris, erroribus. Ad alium igitur ſenſum Pontifices reſpexerint, vel errarunt ut homines. Hæc atque talia dicentem me vos in quodam libello veſtro non immerito hæreticum appellatis. Ita enim ſcribitis: *Conſiderations ſur l'entrepriſe de Monſieur Cornet: conſid:* 10. *Credi non poſſe hodie citra Hæreſim, in libris S. Auguſtini errores poſſe quoſdam contineri, aut Propoſitiones virgâ cenſoria dignas:* Et ab id ſuſtinentibus, ſi qui ſint, *non tam Auguſtinum condemnari, quam ſedem Apoſtolicam, atque Eccleſiam univerſam, quæ declaraverit eum eſſe ab omni erroris ſuſpicione immunem, neque ullibi in ſuis ſcriptis veritatis limites prætergreſſum; nequam eos appellant, qui ſimiles de illo auſi fuerint inſtituere Sermones.*

Si igitur vobis Judicibus Hæreſi, ut aiunt, formali obnoxius eſt, quiſquis ſuſtinuerit Auguſtini doctrinam in materia de Gratia & libero Arbitrio non eſſe tutam, inque errores incidere poſſe, qui ſecutus illam fuerit: idque quia Cæleſtinus I. declaravit, *S. Auguſtinum nullius umquam erroris fuiſſe ſuſpectum*: Si non excuſant illum ab Hæreſi allatæ jam à me exceptiones; quid de iis ſtatuemus, qui Ianſenii doctrinam quinque Propoſitionibus incluſam tueri pergunt ut Catholicam & errore omni liberam, poſt clariſſima duorum Pontificum decreta, in quibus notatur ut *Impia & hæretica*? Quid de iis, qui iſtiuſmodi Decretis (quatenus Librum & Auctoris ſenſum ſpectant) pertinaciter ſubſcribere recuſant? Utrum Cœleſtinus Hipponenſis Auguſtini Doctrinam & Libros approbans, minus eſt errori obnoxius, quam Innocentius X. & Alexander VII. Iprenſis, Auguſtini doctrinam & Librum improbans? Patimini legem quam tuleritis, & lapſum veſtrum tandem aliquando agnoſcite. Propoſitiones damnatas damnate, & ſenſum à Pontifice proſcriptum; & plena erit vos inter, & Patronos bonæ cauſæ concordia. Damnate damnatum à Pontificibus volumen, & nullus erit poſthac moleſtus. Id à vobis tandem aliquando impetret exiſtimationis veſtræ (quæ laborabit plurimùm, quamdiu detrectabitis) ſeria cura: Id amovendæ offenſionis, & peſſimi exempli, quod Eccleſiæ univerſæ præbuiſtis hac veſtra tam longa obſtinatione, reſarciendi obligatio: id demum impetret animarum veſtrarum ſalus, quæ periclitatur plurimùm. Quod ſi recuſaveritis, nolite quæſo ferre acerbiùs, ſi pergant vos boni omnes habere ſuſpectos. Ego certè non mutabo ſententiam, niſi vos mentem hanc veſtram mutaveritis.

Pag. 29. magno cum faſtu leges dictat certaminis ſuis Adverſariis Articulorum Vindex, immemor pugilem eſſe ſe, & non Agonothetam. *Tria ſunt*, inquit, *quæ ab ipſis maximè præſtari velimus, ac pro noſtro etiam jure poſtulamus.*

Primùm, ut meminerint de fide ac hæreſi litem hic eſſe; & ſicuti illa (dogmate diviniùs revelato) conſtat, ita iſtam ſine dogmate Hæretico, ac revelatæ fidei contrario nuſquam ſubſiſtere. Si quod igitur hæreticum dogma in expoſitione ſuperiùs deſcripta pro ſuo acumine perſpexerint, illud ad Romanum tribunal, ad Epiſcopale, aut ſi quod aliud Eccleſiaſticum audacter deferant.

Habes Lector noſtram de expoſitione ſententiam: Expoſitio anceps eſt: geminas habet facies; alteram Thomiſticam, Janſenianam alteram, ſed obſcuriùs & velut in maligna luce collocatam. Si revocetur ad duo illa capita, ad quæ omnino revocandam eſſe cenſuit P. Ferrerius, non habeo quod magnopere improbem. Sin verò clavem ſibi reſervent (qua aperiri debet ejus intelligentia) expoſitionis Auctores; quis non videt magnum eſſe periculum, ne ad ſenſum detorqueant Janſeniſticum, Thomiſtis valere juſſis; quemadmodum eos Janſenius abdicavit, tanquam Ariſtotelicæ, quam Auguſtinianæ doctrinæ peritiores. Unde Lis inſtitui non poteſt ſuper

hac

hac expoſitione adverſus homines, omnibus cavillandi artibus imbutos, quam diu ſenſum ipſi ſuum de re tam ancipiti non aperiunt; ſed ſtudioſè celant, ut via ſemper aliqua pateat effugio. Quid opus autem eſt expoſitionem ipſam ad Romanum tribunal deferre, ſi illic approbata eſt, ut hic Theologus pugnat? Si vana eſt, ut evicit illius approbatio? Si id ipſum Roma teſtetur? Si improbet & damnet: quis erit hujus damnationis fructus? Mox ſuo more excipient Auguſtiniani iſti, alieno ſenſu damnatam eſſe expoſitionem, non ſuo: ſuo enim ſenſu damnari non potuiſſe, cum illum ſatis non prodiderint. Pergamus igitur ad legem ſecundam.

Secundò: ut majorem de ſecta in Gallia aut Belgio graſſante fidem apud Apoſtolicam Sedem alioſve judices faciant, vel unum nominent ſeu Theologum, ſeu quemvis alium, qui aliquem è damnatis erroribus tenuiſſe, docuiſſeve deprehenſus & convictus fuerit. Si enim (quemadmodum à quadraginta ferè annis vociferantur Adverſarii) paſſim obvii fuiſſent, qui neceſſitantem gratiam, aliaque illa nefanda dogmata tuerentur; qui factum eſſet, ut tam vigiles, tam curioſos, tam perſpicaces Inquiſitorum utriuſque poteſtatis Auctoritate armatorum oculos ubique fugiſſent.

Accipio conditionem: parebo conſilio; & faxo (ſi per occupationes quotidianas liceat) ut quam primùm Catalogum accipiat, multorum nominibus, ac ſententiis à quinque damnatis capitibus non diſcrepantibus, inſignem. Faxo, inquam, ut hujus illum tam audacis provocationis aliquando pœniteat. Ignoſcent mihi Belgæ, ſi pudenda cariſſimæ Patriæ meæ detegam, aut potius periculoſum ulcus aliàs incurabile, & ſanas quaſque partes contagione inficiens, orbi aperiam. Ignoſcent Galli, qui factionis capita, & audaciſſimos quoſque, ne latiùs graſſaretur hæc peſtis, regno ſuo expulere: Nos miſeri & infelices latibula præbuimus erroribus. Ignoſcet optimus quiſque, qui nullum in me hominum odium (cujus cauſas procul habeo) ſed peſtiferæ doctrinæ agnoverit. Id unum oro hunc meum Adverſarium, qui oculos nobis omnibus effoſſos cupit, ne ſpem victoriæ omnem, & vim collocet in vocibus; haud immemor & Pelagianos olim Catholicas ſemper Phraſes uſurpaſſe, ſubjecto alio phraſibus ſenſu, quem ſolis initiatis pandebant. Res ipſa intuenda eſt, non vox: ſententiæ ſententiis comparandæ, non vocibus voces. Unde non injuriâ reus mihi erit, qui *gratiæ neceſſitantis* vocabulo abſtinet, ſi rem ipſam dixerit: quemadmodum reum habuit Pelagium Auguſtinus, & ut gratiæ hoſtem Eccleſiæ damnandum tradidit, licet gratiæ vocem ſcriptis ſuis ſexcenties inſereret. Si vim in ſolis vocibus ponas, quamlibet hæreſim tuebor impunè. Neque verò ſemper perſpicaces Inquiſitorum oculos fefellere, quamvis verſipelles zizaniorum ſatores. Nota eſt Hiſtoria Duacena: nota ſors Doctoris haud ignobilis ob inquietum ſemper ingenium, & varios vitæ caſus, & mutatam toties ſedem: notum exilium: Nota Epiſcoporum ac Doctorum hominum adverſus eum, ut Janſeniſmi Interpolatorem, lata ſententia, ac auctoritate regia confirmata. At de his aliiſque latior mox aperietur campus.

Tertiò denique, ut Adverſarii ſuam de eâdem quinque Propoſitionum materia doctrinam viciſſim promant, & Apoſtolicæ Sedis luci exponant, non obſcuris ambiguiſque implexam velatamque (ut ſolent) verbis; ſed clara, aperta, ſimplicique explicatione nudatam: Æquum enim eſt, ut qui alienæ fidei inſidiantur, proferant ſuam, integramque probent. Sed vereor, ut etiam provocati explicare audeant: ne fortè omnibus palam fiat illorum opiniones propius accedere (ut minus dicam) ad antiquos errores, dudum (ut ſcitè obſervarunt P.M. Clemens PP. VIII. & Congregatio de Auxiliis) ab Eccleſia damnatos atque proſcriptos.

Video: Jeſuitas hic impetis: non ago illorum cauſam. Sui illis calami non deſunt, quibus ſe cum impetuntur, defendant ſtrenuè, & injuſtam maculam procul arceant. Hoc ſolum aio, iniquam hanc eſſe conditionem: neque enim ullius umquam Jeſuitæ in hac materia damnata ſententia eſt. Oppugnata eſt armis omnibus Ludovici Molinæ doctrina tanto tempore, à tam doctis, tam ſtrenuis, tam potentibus Adverſariis: & poſt tot certamina evaſit victrix, quia non victa. Nulla eſt inter Jeſuitas ingeniorum ſervitus: non adiguntur jure jurando ad certa placita: Neque propter clamores hos tuos ſapientiſſimus illorum Præpoſitus Generalis certa quædam capita præſcribet ab omnibus Profeſſoribus docenda, quamdiu ad hoc eum major Auctoritas non adegerit Tot libros de gratia Jeſuitæ ſcripſere; ſelige ex illis, ſi quæ maximè diſplicet ſententia: vide an Decretum eam proſcribens obtinere poſſis: nec erit inter Jeſuitas ullus, qui docere illam poſthac auſit. Tot annis ſingulis edunt Theſes Patres illi, in quibus ſuam de cœleſtibus auxiliis quiſque ſententiam & clarè & breviter exponit. Excerpe ex illis aliquid, & oſtende te virum. Nunc veteres tantùm calumnias ſuſcitas, & Pelagianiſmi aut Semipelagianiſmi maculam (quam centies à ſe procul amovere) Patribus aſpergis. Nullus eſt ab illis editus liber in hac materia, qui calumnias illas abunde non diluat. Nulla Theſis, quæ non ingens inter hæreticorum iſtorum & Patrum dogmata oſtendat diſcrimen: Adeò ut Jeſuitarum accuſatores, velut ad incitas redacti, coacti ſint alium nobis Pelagium depingere, quam depinxerit Auguſtinus, ut (quam amabant) in illis invenirent, aut ſibi fingerent ſimilitudinem. Exemplo ſit Janſenius. Alii neſcio quem Caſſianiſmum excogitarunt, truncatis perbellè Proſperi locis, ipſiuſque Caſſiani: ita ut ille oppugnaret, quæ non oppugnat; hic doceret, quæ ne quidem ſomniaverat.

Auſus eſt haud ita pridem Eximius Martinus de Swaene non nihil illius fermenti aſpergere Theſibus R.P. Iſaaci de Bruyn. At ſine mora idem Pater adeò luculentum exhibuit inter ſuam doctrinam ac veterum illorum hæretica opinamenta diſcrimen, ut coactus fuerit conticeſcere Accuſator. & convictum ſe ſuo ſilentio agnoſcere. Tum Pater urgere non deſtitit, ut viciſſim ipſe diſcriminis aliquid oſtenderet inter ſua placita & proſcriptos Janſenii errores. Nullum hactenus attulit, neque facilè ullum afferet. Adeò manifeſtam illius cum Janſenio concordiam demonſtrat Pater. Eodem ſæpius compulit Eximium Gummarum Huyghens R.P. Philippus de

Vos

Vos: neque quidquam ab illo diſcriminis poſt tot juſtas provocationes obtinuit. Et adhuc indignantur nonnulli, Ianſeniſtæ nomen quibuſdam tribui?

Pag. 3. Repentino velut æſtro percitus, & ſpiritu enthuſiaſtico plenus, in hanc prorumpit Apoſtrophen: *AD VOS, AD VOS, ſe noſtra convertit oratio, & omnis poſt ſuperos exſpectatio: ad vos, inquam, ô Beatiſſime Papa Alexander VIII, quem Deus O. M. ad Apoſtolici primatus apicem modò evexit, ut quæ Ieſu Chriſti ſunt, unicè quæreres* (ſic ſolemus homines officii ſui immemores commonere) *ac veritatem, pacemque Eccleſiæ diligeres, foveres, protegeres: Ad vos purpurati Eccleſiæ Romanæ Proceres, eminentiſſimi ac ſapientiſſimi Apoſtolicæ Sedis Adminiſtri: Ad vos Præſules Illuſtriſſimi, quos Spiritus ſanctus* (citra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, aut conceſſam ab ea juriſdictionem, ut Hennebellus definit in Auguralibus ad Doctoratum Theſibus, funeſti ominis Romæ confixis atque damnatis) *poſuit regere Eccleſiam Dei. Si quis igitur veritatis amor, ſi quod pacis ſtudium, ſi quis in Eccleſiam affectus; ſuccurrite tandem laboranti Chriſti ſponſæ: Adeſte veritati tam diuturnis, tam importunis quæſtionum concertationibus vexatæ: Optata tamdiu pace & concordiâ veſtro tandem beneficio perfruantur PACIS FILII*; Veriore nomenclaturâ ab Alexandro VII *INIQVITATIS FILII* appellati.

Quidquid de nova Hæreſi, de nova ſecta, de novellis hæreticis garriunt nonnulli, nugæ ſunt, ſomnia ſunt, vana ſunt hominum ſua quærentium terriculamenta. Sua ſtat quoad nos fidei Catholicæ puritas, quam novus error nullus corrumpit; ſua unitati Catholicæ integritas, quam nulla ſecta diſcindit; ſua Apoſtolicæ Sedi reverentia, cujus Conſtitutiones nemo labefacit, nemo temerat, niſi qui fingis nonnullos, imò plurimos eſſe in ipſo Catholicæ (addendum Eccleſiæ) *ſinu, qui illis obluctentur, quique errores ab illa primaria Petri Sede damnatos pro damnatis non habeant. Cum è contrario omnes ad unum Catholici, ac PRÆ OMNIBVS AVGVSTINIANI THEOLOGI ILLORVM DAMNATIONEM PROMPTISSIMA ET CONCORDISSIMA OBEDIENTIA AMPLEXI FVERINT.* Hæc tu jacis ad Pontificem, ô inverecundum os & infrunitum! Hæc ad Alexandrum VIII? Sedis Apoſtolicæ decreta, Janſenii hæreſim proſcribentia, *PRÆ OMNIBVS CATHOLICIS PROMPTISSIMA ET CONCORDISSIMA OBEDIENTIA AMPLEXI FVERANT* Theologi, qui ſe nominant Auguſtinianos, quorum Princeps & Patriarcha eſt Arnaldus; errores execrati ſunt. Hæc inquam tu ad Alexandrum? Ab ipſa juventute in negotiis graviſſimis Romanæ curiæ verſatum? Curarum omnium (quas plures ex ejus Prædeceſſoribus ſenſere graviſſimas, ob contumaciam in repudiandis Apoſtolicæ Sedis decretis horum Auguſtinianorum) participem? Qui Congregationibus omnibus ſuper hoc graviſſimo negotio habitis vel interfuit, vel rerum illic geſtarum conſcius fuit? Hæc ad Purpuratos Eccleſiæ Proceres, quorum nonnulli etiamnum ſunt ſuperſtites, qui & Innocentio X, & Alexandro VII Conſilia ſuggeſſere, quibus obſtinatas horum Theologorum mentes flecterent? Hæc ad illuſtriſſimos Præſules, quorum haud pauci in Gallia ſedibus ſuis relictis, Conventi-

 bus

bus intereſſe coacti ſunt, ut juſtus aliquis inveniretur modus, Refractarios hoſce ad officium compellendi? Qui tandem fuere contumaces, ſi Auguſtiniani in damnandis Janſenii erroribus fuere præ omnibus Catholicis prompti? Propter quos tot coacti in Gallia cœtus, niſi propter hos Auguſtinianos? Quinam libratum ab Innocentio fulmen eludere aggreſſi ſunt, niſi hi Auguſtiniani? Propter quos altero fulmine neceſſe habuit dextram ſuam armare Alexander, ſi non propter hos Auguſtinianos? Cur tot expedita ſunt Brevia etiam ad Patriæ noſtræ Gubernatores, ſi Pontificia decreta tam promptè, tam concorditer admiſere Auguſtiniani? Cur aliquot Belgii Epiſcopi ſacris interdicti ſunt, ſi tam prompti fuere in publicandis Pontificum oraculis Auguſtiniani? De quibus quæſo egit Alexander in ſua Conſtitutione, continente formulam ſubſcribendi Decretis Pontificum adverſus hæreſes Cornelii Janſenii, ad Epiſcopos Galliæ, in qua ſic loquitur: *Quamobrem Cornelii Ianſenii hæreſim in Galliis præſertim ſerpentem, ab Innocentio X felicis recordationis prædeceſſore noſtro, ferè oppreſſam, ADINSTAR TORTVOSI COLVBRI, CVIVS CAPVT ATTRITVM EST, IN VARIOS GYROS, ET CAVILLATIONVM DEFLEXVS euntem, ſingulari Conſtitutione ad hanc finem edita, altero Aſſumptionis noſtræ anno extinguere conati ſumus. Sed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen unicus erat votorum & curarum noſtrarum ſcopus*: De quibus inquam hic egit, ſi non egit de his Auguſtinianis? Si Errores damnatos adeò promptè rejecere, & Apoſtolicæ Sedis decreta ſuſcepere: Cur Fromondus & Calenus deſtinatis ſibi Infulis maluere renuntiare, quam deficere à Patrocinio malæ cauſæ, & Apoſtolicas definitiones amplecti? Infinitus ſim, ſi his immorari pergam. Inſigni adeò mendacio opus erat huic, tantùm non dixeram Sycophantæ, ut teſtatum ſcilicet orbi faceret: *Quidquid de nova hæreſi, de nova ſecta, de novellis hæreticis garriunt nonnulli, nugas eſſe, ſomnia eſſe, vana eſſe hominum ſua quærentium terriculamenta.* Ita transformandi erant metamorphoſi hactenus inaudita *iniquitatis filii*, in *filios Pacis*. Hiſce præſtigiis ſopire ſe poſſe ſperavit tot vigiles, & ſollicitos paſtorum oculos; atque ipſum Eccleſiæ Principem cantilenâ tam miſerabili in ſomnum agere, ut interim per ovilia tuti ſub agnorum veſte graſſentur lupi, & innoxium pecus dilanient. At fruſtra ſperavit. Deus Petri Cathedram non deſerit: neque patitur illi tam facilè imponi.

Tædet reliqua malè contextæ orationis deſcribere: huc omnis tendit, ut Pontifex prohibeat, ne quis nominetur Janſeniſta: utinam prohibere poſſet efficaciter, ne quis eſſet Janſeniſta; aut deinceps ne quis fieret. Cur eos quæſo tantoperè offendit nomen, quos non offendit error? Hæreſim Janſenii deſerant, ejurent, execrentur: nomen ſponte ſua deficiet. Amplectantur Alexandri VII formulam Gallis præſcriptam, & ſint deinceps Thomiſtæ genuini: quis illos tum appellabit

Jan-